PALAESTRA

LATINA

ANN. XXVII (Fasc. II – N. 158
M. JUNIO A. MCMLVII

www.culturaclasica.com

MENDA, QUAE IRREPSERUNT, CORRIGE SODES

Pg.	61	l.	13	pro:	imma	lege	*immo*
Pg.	85	l.	10	pro:	Te	lege	*Tibi*
Pg.	90	l.	8	pro:	litteras	lege	*litterae*
Pg.	91	l.	15	pro:	tromboplebitide	lege	*trombophlebitide*
Pg.	98	l.	10	pro:	seitum	lege	*scitum*
Pg.	105	l.	4-5	pro:	totam rem	lege	*tota re*
Pg.	107	l.	26	col. 2.ª:	nis	lege	*hic*
Pg.	108	l.	43	pro:	Cursu	lege	*Cursus*

www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii BARCINONE edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum.
in reliquis civitatibus, 65 ptarum. vel 2 $
Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 · BARCELONA
vel ad PROCURATORES singularum nationum
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXVII (Fasc. II) N. 158
M. JUNIO A. MCMLVII

J. JIMENEZ, *Quo modo lingua Latina iterum universalis deveniat* . . 61
AE. ORTH, *Ciceroniana* 72
L. M. SANSEGUNDO, *De RE- particulae usu et notione apud Ovidium* 78
CAELESTIS-MIR; MIR-CAELESTIS; AVENARIUS-MIR; MIR-AVENARIO; HOLZER-MIR; MIR-HOLZER, *Epistularum inter socios commercium* 84
ANDREAS AVENARIUS LECTORI 95
J. BALDE, *Cygnus* 96
J. BALDE, *Ad Infantem Jesum in Bethlemio specu* 97
N. MANGEOT, *Ignatius, Hispaniae et Ecclesiae decus et ornamentum* 98
J. SIDERA, *Per orbem* 102
BIBLIOGRAPHIA, J. Sidera, I. González, J. Aramendía, J. García . . . 106
PALAESTRA ADULESCENTIUM:
Scribite pueri! 113
CARBAJO, *Vulpes et corvus* 114
Exitus Certaminis Latini 116
DELMAS-LATORRE, *Epistulae mutuo dantur inter alumnos* . 119
J. BERUETE, *Hannibal* 120
PALAESTRICUS, PUJOL, DOLD, ESLAVA, AUGÉ, AVENARIUS, FORCANO, *Rideant Pueri!...* 122
ANDRÉS, ASTIZ, FORCANO, PUJOL, *Curiosa et iocosa* . . . 124

www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVII (FASC. II) – N. 158 M. JUNIO A. MCMLVII

Quo modo lingua Latina iterum universalis deveniat

Nunc quaestionem alteram [1] de ratione seu via, qua lingua Latina universalis iterum fieri possit, proponamus et declaremus.

Atque in primis dicendum viam —ut nunc se res habent— longiorem fore, difficiliorem multisque scopulis implicatam. Gentes enim ita a cultu et studio linguae Latinae declinaverunt ac paene recesserunt ut consilium seu propositum latine loquendi pauci retineant, imma nonnullis aliquid inane ineptumque videatur [2].

I. DIFFICILIOR VIA EST

Quod quidem eos, quibus onus fuit Conventum Avennicum parandi et promovendi, non praeteriit [3]; immo in ipso Conventu non defuerunt oratores qui hunc statum linguae Latinae cadentis factis et testimoniis declararent et dolerent.

Re quidem vera, Johannem Capelle, Avenionensis Conventus fautorem atque moderatorem, non modo non latuit de re agendum esse difficilli-

1. Cfr. PALAESTRA LATINA, XXVI (1956) 193-202.

2. Cfr. *Premier Congrès International pour le Latin Vivant*, (Avignon, 1956) =brevius: *Latin vivant*, p. 116, J. ENK, «...nonnulli eorum artem Latine scribendi spernunt obsoletamque putant».

3) DR. CAPELLE, cum primum anno 1952 de lingua Latina, lingua universali egit, haec scripsit: «Une tel question paraît bien téméraire au moment où le latin est de plus en plus délaissé dans son domaine naturel qu'est l'enseignement secondaire au profit des options modernes et techniques considérées comme mieux adaptées aux besoins de la vie pratique». Cfr. *Latin vivant*, p. 10.

www.culturaclasica.com

ma, cum his temporibus linguae Latinae et usum et doctrinam etiam maxima pars hominum despiciat aut omnino neglegat, sed ipse palam in augurali consessu sententiam suam protulit de labili praecipitique statu linguae Latinae. Quod tamen —haec fuit viri illius sententia— calcar stimulumque esse debet iis praesertim viris apprime in lingua Latina versatis, ut summa ope niti curent ad hoc ut eam aptiorem et utiliorem reddant, ne lingua illa, quae primatum quondam obtinuerit nunc neglecta ac paene ignota, paulatim magis in dies decidat praecepsque omnino labatur [4].

Simili modo Johannes Bayet [5], Ericus Burck [6] aliique viri clarissimi [7] de hodierna linguae Latinae inclinatione et neglegentia aperte et sine ambagibus locuti sunt.

Memoratu digna sunt verba Henricae Malcovati, Ticini *(Pavia)* in Universitate clmae. magistrae, quae facta seu testimonia graviora attulit, quibus comprobatur linguae Latinae cultum inter eas ipsas gentes, in quibus olim maxime fovebatur, nunc delabi visum esse [8].

Etenim in Germania, ubi lingua et philologia Latina tantopere floruit, linguae Latinae usus praeteriri et neglegi coeptus est.

In opere enim tantae molis et momenti ut est opus quod inscribitur *Monumenta Germaniae Historica*, post viginti fere annos, lingua Latina posthabita, Germanica rerum scriptores uti maluerunt. Exiit anno MCMXXXVII volumen (fasc. I) «Poëtarum Latinorum Medii Aevi», non latine sed germa-

---

4. Ipse Dr. Capelle in consessu augurali haec dixit: «Notre rencontre intervient à une époque où les études latines sont en déclin, en péril même, et où il semble qu'avec la promotion des Lettres Modernes et d'un nouvel humanisme, celui qui se développe à nos yeux sur la civilisation des machines, le latin doive être renvoyé à un petit nombre de spécialistes, comme le sanscrit». Cfr. *Lat. vivant*, p. 40.

5. Dr. J. Bayet: «Notre entreprisse est aussi étrange qu'indispensable. C'est au moment où le latin, dans l'enseignement des pays les plus humanistes, de l'Allemagne aux Etats-Unis, et in Italie même, semble perdre en faveur et en efficacité que nous en préconisons la diffusion!» Cfr. *Lat. vivant*, p. 51.

6. Dr. E. Burk: «...il est certain que le niveau des études classiques va en décroissant dans toutes les parties de l'Europe, où, il y a cent ou cinquante ans, les bacheliers ont encore été capables d'écrire et de parler en latin». Cfr. *Lat. vivant*, p. 61.

7. Cfr. *Lat. vivant:* R. Fohalle, p. 152; J. Enk, 116, «Multi... obliti sunt quae didicerunt... Sed si quis eos roget, possintne aliquid Latine scribere, continuo respondeant se non posse». Dr. Capelle p. 165, in extrema oratione, qua omnium vota seu optata significavit ac declaravit, haec notanda praemittebat: «Nous avons partagé l'émotion de notre collègue d'un pays d'Amerique latine lorsqu'il nous a dit que le latin venait d'être supprimé des programmes d'études secondaires dans son pays. Le cas n'est pas isolé: nous assistons dans d'autres pays à la mort plus ou moins lente d'une langue qui ne s'est guère présentée jusqu'ici que comme un article de luxe... Ces dangers et la conscience que nous en avons témoignent que notre Congrès venait à son heure».

8. H. Malcovati, cfr. *Lat. vivant*, p. 136-138.

www.culturaclasica.com

nice inscriptum, «*Die Lateinischen Dichter des Deutschen Mittelalters*», quin verba ulla seu ratio hujus mutationis in praefatione praeberetur.

Doctores Brunus Snell, Ulrichus Freischer, Johannes Joachim Mette opus susceperunt edendi *Lexikon Poëtarum Graecorum primae aetatis*, sed opus prodiit nomine et commentariis Germanica lingua exaratis; quod consilium in praefatione auctores explicant his verbis: «weil nur eine moderne Sprache als geeignet erscheint, die Differenzierung und Nuancierung der Bedeutung, auf die es für das semasiologische Interesse weit mehr ankommt als auf die lexikalischen *Gleichungen* der Uebersetzungshilfen, wirklich darzustellen» [9].

Nuper quoque in commentariis quibus est nomen «*Gnomon*», in recensendo opere quodam universitatis Herbipolensis *(Würzburg)* latine scripto, Richardus Harder quaestionem proponit de opportunitate adhibendae linguae Latinae in dissertationibus seu scriptis academicis; sed responsum ipse subito affert negans lingua Latina posse exprimi quae linguis vernaculis clare et distincte exprimuntur. Quae fama fert —inquit— de linguae Latinae virtutibus, non sunt nisi vanae fabulae et philologorum nugae [10].

Haec in Germania ubi prius docti homines tanto linguam Latinam prosequebantur honore. Sed etiam in Italia, quae in usu linguae Latinae primum fortasse locum inter populos obtinuerat, sunt qui audeant in illam impudentes efferre voces.

Nam anno MCMXXIX Brunus Migliorini, in Florentina Universitate Professor, partes sumpsit, lingua Latina posthabita, pro lingua arte ficta quae ab omnibus sapientibus adhiberetur [11]. Recens vero mense Junio a. MCMLVI ipse Dr. Brunus Migliorini, in commentariis «*Lingua nostra*» orationem edidit, paulo ante Londini habita, quae inscribitur: «*Le lingue classiche, serbatoio lessicale delle lingue europee moderne*», in qua momentum, utilitas, praestantia linguae Latinae adeo minuuntur ejusdemque facultates ita detractae eluduntur, ut verba illius nugatoris, qui linguam Latinam —verbis utar Gallicis— «langue de conserve», h. e., «linguam salgamorum» dixerit, auctor probata et confirmata inconsulto afferat [12].

Nuper quoque in Italia in commentariis, quibus est index «*Il Mondo*», professor quidam Universitatis Romanae edidit scripta acerrime contra stultitiam necrophilicorum tumultuariis et lusoriis verbis dimicans [13]. Viri quidem non defuerunt qui in arenam descenderent cum hoc linguae Latinae detractore strenui pugnaturi; sed hoc maxime dolendum, quod, qui hac ratione

---

9. *Lexikon des frühgriechischen Epos*, p. VI.
10. *Gnomon* 1956, Heft. IV: «nur ein philologisches Märchen».
11. *La Cultura*, I, 2-XI-1929, p. 670-673.
12. *Lingua Nostra*, mense junio a. 1956.
13. *Il mondo*, 20-X-1955: «smettiamola con le manie necrofiliche di parlare li lingue morte».

www.culturaclasica.com

contra linguam Latinam conclamavit, particeps factus est illius consilii cujus est institutionis gymnasialis in Italia instaurandi et aptandi munus.

Neque tantum in Italia et in Germania; alibi quoque novi assurgunt hostes aut validiores fiunt pristini linguae Latinae inimici.

In Americae Latinae Statibus, in nonnullis saltem, lingua Latina civitate illa caret, qua hodiernae loquelae donantur[14]. Apud nos etiam Hispanos his nostris temporibus vidimus linguam Latinam imminutam ipsius publicae Administri institutionis consilio. Jam in media quam dicunt institutione lingua Latina primas, quas habuerat partes, amisit; sed quid dico primas partes, cum titulum hujus mediae institutionis sine ulla linguae Latinae cognitione nonnulli publice adipisci possint?[15]

Etiam apud Batavos, teste clmo. v. J. Enk, negari non potest scientiam linguae Latinae nostris temporibus vulgo minorem factam esse et in dies minui. Haec sunt Professoris Groningensis verba: «In patria nostra quae, ut omnes scitis, per multa saecula plurimos protulit homines qui Latinitate perspicua, jucunda, eleganti uterentur quique etiam versus Latinos pangerent, hodie etiam inter doctores litterarum classicarum pauci tantum modo inveniuntur qui Latine scribere possint; quin etiam nonnulli eorum artem Latine scribendi spernunt obsoletamque putant» [16].

Quod fit etiam in ceteris Europae et Americae civitatibus. Ubique cultus et studium linguae Latinae segnius videtur procliviusque incedere. Ubique terrarum spatium temporis minuitur quo alumni linguae Latinae vacent. Praeterea illa exercitia obsoleverunt quae maximi momenti et ad altam linguae Latinae cognitionem utilia putabantur. Adde quod lingua Latina non recta via et ratione a nonnullis traditur et fastidium magis quam illius desiderium in puerorum animis sine religione inducitur. Demum, ne causas omnes attingam quibus lingua Latina a veteri honore et amore paulatim decidit, mecum attente cogites velim qua alacritate, quo ardore in vias linguae Latinae, tot angustiis anfractibusque implicatas, pueri jam nimium disciplinarum sarcina gravati ingredi possint, cum praeterea et parentes et saepe magistri a linguae Latinae studiis abhorreant eamque tamquam omen malum detestentur?

Revera non est dubium quin lingua Latina languescat in dies ubique fere terrarum. Unde igitur solliciti anxiique haerent animo humaniores viri, qui morbum denuntiant, causas exquirunt, remedia praebent. Sed sunt etiam

---

14. E. Warleta, *El Bachillerato en Hispanoamérica*, cfr. «Rev. de Educación», Madrid, III, (1953) 36-40; «Estudios Clásicos», Madrid, II (1953-54) 90-91; *Lat. vivant*, p. 165.

15. «Estudios Clásicos», Madrid, III, (1956) 460-465.

16. *Lat. vivant*, p. 116.

www.culturaclasica.com

inculti barbarique homines qui linguam Latinam extorrem velint, immo et qui ejusdem mortem jam jam praedicent ac fere laetentur [17].

Sunt ergo his nostris temporibus plures scriptores qui pro lingua Latina aut contra eam tulerint arma; sed cum de causa optima agatur non est quod nimium sollicitari videamur impugnationibus, quamvis frequentibus et infestis, quae contra linguam Latinam propulsentur. Plerisque inscientia linguae Latinae auget vires ut audacter et impudenter contra eam pugnent. Num umquam inter impugnatores quisnam inventus est qui linguam Latinam bene calleat quique in ea sit apprime versatus? Ceterum non sunt inter homines in optima quaque causa diversae et contrariae sententiae? Praetereamus igitur impugnantium catervam et eorum nomina tantum proferamus, qui strenue causam linguae Latinae susceperunt eamque pro virili parte tuiti sunt. En tibi clariora nomina: A. Guillemin [18], E. de Saint-Denis [19], P. Boyancé [20], J. Bayet [21], R. Adrados [22], P. Chambon [23], A. Grisart [24], L. Ragey [25], E. Gareau [26], E. Hernández-Vista [27]. Hi omnes, quibus alii plures addi possunt, in publicis commentariis de statu linguae Latinae scripserunt et remedia nonnulla proposuerunt ad Latinitatem hac nostra tempestate excitandam et fovendam. Sed non est quod eorum sententias et consilia singillatim attingamus.

---

17. J. L. Nicolet, P. Chessex, P. Schmid, *L'affaire du latin*, Lausanne 1954; J. Guéhenno in commentariis diurnis «Le Figaro», Paris 18-XI-1953, cet.; cfr. K. S. von Pritzwald, *Le Latin comme idiome social de l'affinité occidentale*, *Lat. vivant*, p 87-89.

18. A. Guillemin, *La Pédagogie du latin*, cfr. «Mémorial Marouzeau», Les Belles Lettres, Paris 1943, 641-660.

19. E. De Saint-Denis, *Assisterons-nous à l'agonie des études latines?*, cfr. «Revue Universitaire», mense majo et junio, 1953, 129-233; «Bulletin de l'Association Guillaume Budé», mense junio 1954, 21-25. — Id., *Une orientation des études latines*, cfr. «Les Études Classiques», 23 (1955) 239-258,

20. P. Boyancé, *Querelle du latin*, cfr. «Monde», 12-XII-1953.

21. J. Bayet, *Le latin conciliateur entre l'humanisme et la technique*,cfr. «Franco-ancienne», I (1953) 45-52.

22. F. R. Adrados, *Puntos de vista sobre la enseñanza de las lenguas clásicas*, cfr. «Estudios clásicos», II (1954) 310 323.

23. P. Chambon, *Esquema de un método mejor adaptado a las condiciones actuales*, cfr. «Cahiers Pédagogiques pour l'Enseignement du Second Degré», 4, 15-XII, 1954; «Revista de las Ciencias de la Educación», Medellín (Colombia) II (1955) 130-158.

24. A. Grisart, *Les diverses façons de défendre les humanités*, cfr. «Association des Classiques de l'Université de Liège», III (1955) 63-73.

25. L. Ragey, *Classicisme et humanisme*, cfr. «L'Education National», 8-III 1956, pp. 15. — Ragey causam agit litterarum classicarum contra F. Robert, *Une diatribe contre les études classiques*, cfr. «Revue Universitaire» (mars-avril 1956, pp. 68-76).

26 E. Gareau, *Pourquoi tenir à l'enseignement du latin?*, cfr. «Revue de l'Université d'Otawa», 26 (1956) 39-56.

27. H. Hernández-Vista, passim in «Estudios Clásicos» et in «Revista de Educación», Madrid, 1953-56.

www.culturaclasica.com

Satis est hoc significare: de re agi haud parvi momenti, quae ad institutionem mediam omnium populorum spectat. Unde optimo jure societas internationalis, cui nomen est UNESCO, eam voluit attente considerare et sententiam de hac re populos coetusque humaniores rogare[28]. Certo certius omnium sententiae, cum sint dispares humanitate et ingenio qui de hac re judicium proferre debeant, nequaquam erunt consentientes. Hoc tamen praenuntiari posse credo: omnes qui consulto et data opera de hac re scripserunt vel egerunt, ut, exempli gratia, A. Cayuela[29], J. Perret[30], J. Cousin[31], F. Charmot[32], M. Fornaciari[33], J. B. Pighi, cet.[34], hi omnes et quicumque linguam Latinam doctrina et usu perceptam habeant non poterunt non judicare mancam et infirmam puerorum institutionem sine lingua Latina. Anglici professores qui diligenti et diutino consessu rem considerarunt, luculento testimonio palam mentem suam aperuerunt: fundamentum esse mediae institutionis linguas et litteras classicas, sine quibus vera et sincera humanitas consistere nequeat[35].

II. NOVA RATIO INSTITUATUR OPORTET

Quae prius diximus difficiliorem monstrant viam esse his temporibus ad communem inter sapientes linguae Latinae usum instaurandum; difficiliorem quidem, sed tamen possibilem dummodo remedia nunc dicenda tempestive ac strenue adhibeantur.

Jam vero Conventūs Avenionensis frequentiam hominumque concordiam optimum indicium nobis esse oportet ut lingua Latina magis in dies vigeat consistatque ea dignitate et praestantia qua pristina aetate floruerit. Dimidium facti qui coepit habet[36]; nonne igitur exitum Avenionensis Conventus jure initium hujus operis, et bono quidem auspicio, consideremus opus est? Nunc restat ut vota seu optata conventus magno amore et diligentia ad praxim reducere nitamur.

---

28. J. S. LASSO DE LA VEGA, *Los Documentos-Base de la UNESCO sobre el Humanismo y la cultura y la educación actuales*, cfr. «Estudios Clásicos», III (1956) 485-491.

29. A. CAYUELA, *Humanidades Clásicas*, Zaragoza, 1940.

30. J. PERRET, *Latin et Culture*, Desclée, De Brouwer.

31. J. COUSIN, *Les Études Latines*, Paris, 1944.

32. E. CHARMOT, *El Humanismo y lo humano*, Ed. Difusión, Buenos Aires, 1945, trad. I. Granero, S. J.

33. M. FORNACIARI, *Latinorum*, Ed. Gust. Gili, Barcelona, 1952; trad. C. M. Rossi.

34. G. B. PIGHI ..., *Didattica del Latino*, A. Signorelli Editore, Roma, 1955.

35. *The Teaching of Classics*, Issued by the Incorporated Association of Assistant Master in Secondary Schools. Cambridge, University Press, 1954.

36. HOR., *Epist.*, I, 2, 40.

www.culturaclasica.com

Quid ergo faciendum ut vota haec citius et facilius exsequamur et ideo neglegentiam vel potius animadversionem plurimorum, in linguae Latinae studium, amorem, cultum et cottidianum usum transferamus?

Dr. Ericus Burck, in Universitate Kielensi in Germania Professor, magnis viribus clamitabat: «Latine loqui, latine loqui, iterum iterumque latine loqui» [37]. Hoc est enim praecipuum remedium.

Quia revera omnes artes maxime exercitatione discuntur. Longum enim est iter per praecepta, breve et efficax per exempla. Ergo si volumus ut docti homines libenter et ex tempore lingua Latina utantur opus est pueros jam in scholis eadem exerceri colloquiis, publica orationum declamatione et fabellarum enarratione, sed maxime scriptione jugique classicorum lectione.

His aliisque exercitationibus quibus olim pueri et adulescentes in lingua Latina versabantur eamque lubentes excolebant id effectum est ut plerisque non solum grammatice sed et latine loqui et scribere contingeret et id quidem, de omni re scibili, facilitate quadam maxima. Nec alia via ad hoc inveniri potest praeter hanc tritam exercitationis linguae et scriptionis. Sicut enim «nec medici —sunt Ciceronis verba [38]— nec imperatores nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt, sic officii conservandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi, sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat».

Ergo scriptione imprimis opus est, quia revera «stilus optimus et praestantissimus est dicendi effector atque magister» [39]. Cave tamen ne nimium festinanter aut inconsulte scribas; cito enim scribendo non fit ut bene scribatur, bene scribendo fit ut cito. «Nam, ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior fit; sic profectus non a summo petitus, studiorum fructus et fundit uberius et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit et verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt, illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia quae sufficiant labori certaminum et usu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem: quae nascendi quoque hanc fecerit legem, ut majora animalia diutius visceribus parentis continerentur» [40].

Ergo ut usus linguae Latinae inter doctos, res quidem magni momenti, instauretur, in omnibus, non tantum inferioribus scholis, scriptionem

---

37. E. Burck, cfr. «*Lat. vivant*», p. 61.
38. Cic., *Off.* I, 18, 60.
39. Cic, *De orat.* I, 33.
40. Quint., *I. O.* X, 3, 2.

www.culturaclasica.com

Latinam iterum florere debet et in ea exercitatione jugiter Latina exemplaria nocturna versare manu, versare diurna. Praecipuus enim et maximus inde nascetur fructus.

Nihil mirum igitur si magistri omnes, qui altam linguae Latinae cognitionem propugnant, tantopere commendent scriptionem Latinam, nam cognitio linguae Latinae minuitur prout minuitur scriptio. Ipse alibi testimonia nonnulla tradidi quibus doctrina haec comprobatur[41]. Cum vero his temporibus tam parvi habeatur hujus exercitationis usus, quid miramur de proniore linguae Latinae inclinatione et de exiguo numero eorum qui eam studio et amore colant eamque bene calleant? Scribendum igitur quam diligentissime et quam plurimum.

Haec fuit sententia Dris. J. Enk Groningensis, Avennione omnium plausu prolata: «Si igitur denuo usurpari cupimus in conventibus virorum doctorum, qui cujusvis generis disciplinis operam dent, primum curandum est ut philologi classici in omnibus orbis terrarum partibus denuo commentationes suas latine scribant et deinde ut magistri in Gymnasiis Lyceisque tali modo linguam Latinam doceant, ut discipuli sermone Latino simpliciore in epistulis commentatiunculisve uti possint. Quodsi discipuli themata facere non jam discent, non dubito quin eorum scientia minor futura sit quam ut postea sermonem Latinum in vita cottidiana usurpare possint[42]».

Ipse Sanctius Brocensis, qui tam acerbe clamat contra linguae Latinae garrulos, qui barbaro inconditoque sermone ipsam corrumpunt Latinitatem, eos tamen laudat qui scriptione, meditatione auctores classicos accurate colunt. Immo «quicumque —inquit— aliquando peritiam Latinae linguae

---

41. Jiménez Delgado, *La traducción Latina*. Madrid 1955, pp. 53-55. Testimoniis ibi allatis adde hoc luculentum scriptoris nostri Mariana in opere de rege ejusque institutione (*Del Rey y de la Institución del Rey*, cap. VI): «En lo que debe ponerse más ahinco es en explicar los autores y *en hacerle escribir y hablar en latín*, pues se ha de lograr que le sea la lengua latina tan familiar como la de Castilla. Que oiga hablar en latín y tome parte con eruditas conversaciones: medios con que podrá adquirir facilidad para revolver las historias antiguas y entender a los oradores extranjeros que hablan casi siempre en latín». Notanda quoque sunt haec Marcellini Menéndez Pelayo verba: «...hoy como ayer, el empleo de la lengua latina en prosa y en metro debe recomendarse como ejercicio. Todo el que más o menos haya hecho versos latinos, habrá comprendido cuán útiles son estos ensayos para hacer buenos versos castellanos... En mi entender, ni Fray Luis de León ni Arias Montano hubieran llegado a donde llegaron como poetas castellanos, ni hubieran caldeado ni moldeado nuestra lengua de la manera que lo hicieron si antes no hubieran descollado como poetas latinos... Ni a Mariana le llamaríamos hoy el Tito Livio español si antes no hubiese ensayado en su propia lengua la imitación del egregio narrador paduano». Cfr. *Antología General* (S. Muniain), n. 866. B. A. C., Madrid 1956.

42. Cfr. «*Lat. vivant*», p. 116.

www.culturaclasica.com

est assecutus, Petrum Bembum, aut Osorium, aut nostrum Pincianum, non loquendo sed scribendo, meditando et imitatione id sunt assecuti [43].

Ergo si cupimus linguam Latinam omnibus sapientibus communem, in primis opus est ea, quam plurimum, pueros jam a prima aetate scriptione maxime uti, ita ut paulatim et gradatim colloquium Latinum facilius instituere possint. Sed si latine loquendum est prius necesse est rationem et viam linguam Latinam tradendi funditus instaurare atque novare. Quod nunc potissimum urget cum tantilli temporis spatium linguae Latinae fere ubique tribuatur.

Jam vero illud praecipue velut caput et fundamentum novae rationis et viae erit, linguam Latinam vivam esse nostraque adhuc aetate vigere saltem apud doctos nonnullos homines et ex usu consuetudineque perpetua Ecclesiae. Quod si viget, non ut lingua mortua tractanda est.

Professor G. Beach qui in Avennico Conventu egit de ratione et via tradendi linguam Latinam hoc primum in puerorum institutione commendandum censuit: sententiam pravissimam qua lingua Latina demortua haberetur, eam e mente omnium hominum maxime discipulorum eorumque parentum evellendam, extirpandam, funditus tollendam; quae vero sententia ex ipsorum linguae Latinae magistrorum incuria orta esset, qui nunquam lingua Latina uterentur neque epistularum commercio neque mutuo inter se colloquio. En tibi illius verba: «Quos penes tandem est culpa hujus notionis commenticiae? Nos penes utique, qui inter nos neque commercio epistularum latine scriptarum fruimur neque latine colloquimur. Quid quod magistri linguarum hodiernarum, quandocumque conveniunt, eos qui eandem linguam profitentur, colloquendi gratia statim indagant et odorantur?... Censeo igitur non modo oculos arte legendi verum etiam linguam arte loquendi aurisque arte sermonis intellegendi erudiendas esse ut lingua discipulis viva videatur. Propterea ut notio prava hanc linguam esse demortuam e mente discipulorum tollatur, ne obliviscamur eos qui tenerae aetatis sunt ad pleniorem vitam spectare atque a rebus mortem olentibus abhorrere. Recordemur simul eosdem ab inceptis quae oblectationem pollicentur nullis difficultatibus deterreri. Nos vero nostros puerulos miseros, uti supra dixi, pabulo pascimus quo nullum aliud illa aetate alienius esse possit, Caesaris Commentariis, ubi nihil reperiunt oblectamenti, nihil quod usui fructuique, quod sciant, certe non uberi, sit; nihil quod ad vitam hodiernam attineat; nihil quod ad confabulandum cum aequalibus aliove quoquam proficiat [44]».

---

43. Sanctii Brocensis, *Minerva sive de Proprietate sermonis Latini*, Amstelodani, 1661, pp. 855-862: Ultimum ad linguam Latinam praecipuum documentum: Lingua Latina comparanda non colloquio sed stilo.

44. *Latin vivant*, p. 81.

www.culturaclasica.com

Eandem ferunt sententiam Curtius Stegman von Pritzwald[45], B. Hypeau[46] et R. Marache[47]. Linguam igitur Latinam non mortuam sed vivam haberi debet; nam linguam Latinam mortuam considerare idem est ac de morte ipsius agere.

Ergo in via et ratione instauranda hoc nobis firmum sit, quod maxime in Avennico Conventu commendatum est: «Qui linguam Latinam docent, nequaquam eam mortuam credant oportet» [48].

Sed quamquam lingua Latina mortua non est, est tamen marcescens et languida; quid ergo faciendum ut magis in dies vigeat et revirescat?

Primum curandum est bonos magistros parare, nam mens sana boni magistri potior ars ratioque est qua pueri lingua Latina erudiantur. Bonus autem magister enixe curat ut disciplina quam docet grata fiat jucundaque discipulis; unde ipse benignus est et puerorum inconstantiae patiens, non querulus, non plagosus nec taeter. Quot pueri jam a primis scholis taedio linguae Latinae affecti sunt mala magistrorum natura. Audi Sanctum Augustinum querentem: «*Quid autem erat causae, cur Graecas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi satis exploratum habeo*» [49]. Quod fortasse bono animo erga magistrum dixit; nam paulo post haec addit: «*Nulla enim verba illa* (sc. Graeca) *noveram et saevis terroribus ac poenis, ut nossem, instabatur mihi vehementer*» [50]. Magister ille nimium durus atque severus, nullis salibus disciplinam condiens, immo quasi felle aspergens, Sanctum Augustinum a studiis linguae et litterarum Graecarum avertit.

Praeter bonam magistri naturam et jucundam docendi rationem, praeter varias exercitationes, de quibus antea diximus, ut linguae Latinae usus facilior et communior evadat, magnopere refert in ipsa puerorum institutione ad praxim reducere vota seu optata quae de re paedagogica fuerunt in Avenionensi Conventu sancita[51].

Sufficiat tantum nunc, ut finem huic disquisitioni imponam, haec praecipua consilia, paucis sed urgentibus verbis, breviter colligere et subsignare:

---

45. *ibidem*, p. 88.

46. B. Hypeau, O. S. B.: «Dans la mesure où le latin reviendra une langue vivante, les professeurs devront modifier l'orientation de leur enseignement. Il s'agira moins de traduire du latin en français que de parler latin, de lire du latin, d'écrire en latin». *Latin vivant*, p. 220.

47. R. Marache: «Les études latines sont conduites actuellement en France d'après une conception parfaitement logique et cohérente qui se déduit à partir d'un postulat fondamental: le latin est une langue morte. Il est par conséquent absolument inutile de le parler, tout aussi inutile de l'écrire». *Latin vivant*, p. 150.

48. R. Marache: *Le latin langue morte, c'est tout simplement la mort du latin. Latin vivant*, p. 23.

49. *Conf.*, I, 13.

50. *Conf.*, I, 14.

51. Palaestra Latina, XXVI (1956) 236.

www.culturaclasica.com

1. Sermonis Latini paedagogia ne eorum opinione afficiatur qui linguam Latinam mortuam linguam praedicant.

2. Totis viribus enitendum ut sermonis Latini institutio ac disciplina minus severa reddatur, magisque psychologicae puerorum indoli sit accommodata, quin tamen in quoddam levioris facilitatis periculum incidatur.

3. Rogantur magistri ut discipulos ordine et ratione comparare cogant atque amplificare idoneum vocabularium quo legere scriptores facile possint.

4. Docendi rationes seu methodi quae «activae» dicuntur, in docendo quoque sermone Latino commendantur.

5. Magistri linguae Latinae rogantur ut latine conscribant et inter se quam maxime et etiam cum pueris in schola latine colloquantur.

Harum rerum commentarium, longius quam patiuntur PALAESTRAE LATINAE pagellae, argumentum nostrum protraheret. In opere cui titulus est «*Premier Congrès International pour le Latin vivant*» patent verba et rationes quibus perspicue et luculenter commendantur a clarissimis scriptoribus et magistris, uti sunt Bacci (25-25), Beach (80-84), Plaut (109-112), Hypeau (120-123), Meunier (133-134), Marache (150-151) aliique non pauci.

Sed nunc verborum satis sit. Serius fortasse data occasione, rem diligentius perpendemus.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

www.culturaclasica.com

CICERONIANA

Non omnia Ciceronis vocabula etiam nostris diebus recte intellegi videntur, quia lectores fontes Graecos, unde Tullius suam scientiam amplissimam hauserit, plerumque ignorant, id quod duobus dumtaxat locis librorum rhetoricorum illustrare in animo habeo; agendum enim est paulum de Stoicorum logica, quam a praeceptore Diodoto Stoico penitus cognovit Cicero, qui haec in opere *Brutus*, 90, 309 scripsit: «Eram cum Diodoto Stoico, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper (= *anno fere 60 a. Chr. n.)* est domi meae mortuus; a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est». Illis autem duobus locis rhetoricis *(De Oratore*, 2, 38, 158; *Orator*, 32, 115) operationes praecipuae Stoicorum logicae (vel dialecticae) summa brevitate comprehenduntur. Jam verba Ciceronis ipsa primo proferam prioris loci quorum singulas partes praecipuas interpretandas explicabo; eodemque modo posteriorem locum *(Orator*, 32, 115) deinceps illustrabo.

De Oratore, 2, 38, 158:

«Nam etiam omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse, etsi simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut judicent, verumne sit an falsum, et si conjuncte sit elatum et adjuncta sint aliqua, judicant, rectene (sequentia) adjuncta sint et verane an falsa summa sit unius cujusque rationis».

eloquimur: verbum «eloquendi» hoc loco significat: totam, integram, perfectam sententiam exprimere, non autem unum tantum vocabulum dicere; nam Stoicorum logica semper completam sententiam respicit et plures sententias ad ratiocinationes componit; hoc eloquium vel haec enuntiatio a Stoicis AXIOMA vocatur et ad omnes sententias extenditur, cum Aristoteles illud AXIOMA ita definiat *(Analyt. post.* I, 2 = pp. 72a 16): «(propositionem) quam necesse est habere eum qui quodcumque per demonstrationem sit cogniturus, *axioma* dico».

«id quod eloquimur **aut esse aut non esse** dicimus»; *esse* est affirmatio, *non esse* est negatio propositionis; ut exemplum afferam: «rosa est pulchra» asserit; «rosa non est pulchra» negat; formā enim affirmationis aut negationis exprimitur judicium; vocabulum autem aliquod singulare («rosa») nihil affirmat nihilque negat, sed exprimit solummodo simplicem apprehensionem vel

www.culturaclasica.com

conceptum rerum (seu objectivum), quem Stoici appellant LEKTON (=dictum, a verbo λέγω).

simpliciter dictum = simplex sententia vel enuntiatio (= AXIOMA). Stoici enim distinguunt «simplicem» propositionem *(haplun axioma)* a conjuncta propositione, quae compluribus sententiis constat; cf. infra «conjuncte elatum; exemplum simplicis sententiae est hoc: «rosa floret».

conjuncte elatum pertinet ad complures enuntiationes; «elatum» idem est ac «dictum»; cf. «simpliciter dictum»; adverbio «simpliciter» opponitur «conjuncte» = copulate; hujus dictionis exemplum est hoc: «rosa floret et odor rosā effunditur»; sunt aliquot formae propositionum conjunctarum, quae inter se conjunctionibus conectuntur; quarum has enumero species:

propositio *copulativa positiva* («et... et... et»: «Socrates est Atheniensis et uxorem habet Xanthippen et colloquitur cum adulescentibus et capitis damnatur»;

propositio *copulativa negativa* («neque... neque»): «Cicero neque Graecus neque medicus fuit»;

propositio *condicionalis* («si... tunc»): «si pluit, terra madet»;

in modis indemonstrabilibus (= in syllogismis Stoicorum) istō voculō «atqui» introducitur.

rectene; adverbium «recte» respondet formae Graecae ὑγιῶς, qua vel rectissima consequentia ex propositionibus superioribus indicatur.

sequentia adjuncta; ad Ciceronis verba hoc praesertim loco corrupta vocem «sequentia» addidi ex ejusdem scriptoris libro quinto *Disputationum Tusculanarum*, 5, 25, 72 ubi legitur «sequentia adjungit»; post «adjuncta» brevi ante posita nunc alio sensu apponitur «adjuncta», nempe in *conclusione* (neque jam in «praemissis» propositionibus); ergo «sequentia» (neutrum plurale, scilicet «dicta») adnecti usus est, quia transitus ad conclusionem syllogismi ita fit.

verumne an falsum spectat ad judicium; omnis enim enuntiatio aut affirmatur (etiam duplici negatione), si illa vera est, aut negatur, si est falsa; verum et falsum est quasi duplex vis tantum «veritatis» enuntiationum; tertia vis veritatis, quae neque vera neque falsa est, apud Ciceronem ipsum non invenitur, quamquam est ipse assecla Academiae quae judicio finali abstinere soleat; addi opus est «*aut esse aut non esse*» non idem significare atque «affirmari aut negari»; nam aliquid, quod re exsistere dicitur, falsum esse potest.

adjuncta (scilicet: dicta) sunt adsumptiones, quae ad propositiones majores (quae saepissime superius et prius exprimuntur) adjunguntur ut propositiones minores (vel posteriores); tale «adjunctum»

propositio *disjunctiva exclusiva* (aut... aut): «aut dies est aut nox est»;

propositio *disjunctiva non exclusiva* («vel - vel»): «Cicero vel orator est vel libros componit».

www.culturaclasica.com

Tales enuntiationes *conjunctae* dicuntur, quia non simplices sunt (οὐχ ἁπλᾶ ἀξιώματα); nomina illarum propositionum Graeca sunt haec: *copulativa* = sympeplegmenon (= complexum); *condicionalis* = synhemmenon; *disjunctiva* = diezeugmenon; excluditur profecto asyndeton, quod quamquam plures sententias complectitur, tamen pura est enumeratio sine conjunctionibus, quae quidem deesse nequeunt in illis Stoicorum propositionibus indemonstrabilibus; ita enim «*indemonstrabilia*» vocantur AXIOMATA, quoniam sine demonstratione pro certo habentur neque ipsa demonstrari possunt.

summa... rationis est imago institutionis arithmeticae, ubi supremo loco effectus additionis in summa linea exponitur ab imo ad supremum computando; unde manifestum fit modos indemonstrabiles a dialecticis Stoicis formā additionis vel figurā regulae non juxta positas propositiones continuisse, ut philosophi nostrates faciunt, sed tamquam complura tabulata super se structas praebuisse. «*Ratio*» est idem ac «ratiocinium» vel «syllogismus»; voce «summa» illud Graecum «symperasma» (= *Abschluss)* redditur; et ex hac tandem «summa» cognoscitur ad extremum verane an falsa tota ratiocinatio fuerit.

ORATOR, 32, 115:

(Orator debet vel illa antiqua = Aristotelis vel hac Chrysippi disciplina institutus esse;) «noverit primum vim, naturam, genera verborum et simplicium et copulatorum, deinde (sc. noverit) quot modis (sc. concludendi) quidque dicatur, qua ratione verum falsumne sit, tum judicetur, quid efficiatur e quoque (sc. modo concludendi), quid cuique (sc. modo) consequens sit quidque contrarium, cumque ambigue multa dicantur, (judicetur) quomodo quidque eorum dividi explanarique oporteat».

«Noverit **vim, naturam, genera verborum...**» his perbrevibus verbis Cicero doctrinam Stoicorum «semanticam» adumbrat, quae significationem verborum docet; verba sunt LEKTA (= dicta), quae et singula vocabula et integras sententias (= AXIOMATA) valent et volunt esse; «*vis*» est potestas verbi et significationis; «*natura*» est forma nativa, veriloquium, origo principiumque verbi, qua definitio verbi exprimitur; «*genera*» autem verborum discernuntur in «verba *simplicia*» et «verba *copulata*»; «verba» vero hoc loco sunt eadem quae *dicta* (LEKTA = AXIOMATA) accipiuntur; nam in campo artis *logicae* non grammaticae versamur; verba igitur simplicia sunt idem ac simpliciter dicta *(De Oratore,* 2, 38, 158); «simplicia verba» sunt proinde «hapla axiomata» (cfr. *Stoicorum veterum fragmenta* edidit Joannes ab Arnim, vol. 2 (Lipsiae, 1903) n. 205); quibus «*copulata verba*» opponuntur (*Stoic. vet. fragmenta* 2, n. 205: οὐχ ἁπλᾶ) «simplex *verbum*» est idem ac simplex *axioma* vel enuntiatio; «copulata *verba*» sunt complures *sententiae* conjunctionibus inter se conexae; ita enim Cicero consuetudinem Stoicorum loquendi exprimit,

www.culturaclasica.com

qui miro modo «terminologiam» —quam vulgato nomine dicimus— logicae specialem constituebant atque a Peripateticorum more dicendi differebant.

Quot modis quidque dicatur: dictio haec a nullo fere adhuc rite intellegebatur; *modi* enim sunt tropi syllogismi, non modi grammatici (ut indicativus, conjunctivus, optativus: erravit igitur K. W. PIDERIT: *Ciceros Orator*, (Leipzig, 1876, p. 87); «*modis*» indicantur illae Stoicorum propositiones indemonstrabiles (= *anapodeikta*) quae nulla demonstratione egent et nullo alio principio arcessito firmiter convincunt. CHRYSIPPUS Stoicus quinque modos indemonstrabiles statuit, qui etiam apud SEXTUM EMPIRICUM *Adversus mathematicos*, 8, 224-225, inveniuntur, apud DIOGENEM LAERTIUM *De vitis et placitis philosophorum* 7, 79; CICERO contra septem modos in *Tropicis*, 13, 54-57, enumerat, quem sequitur MARTIANUS CAPELLA, *De nuptiis Philologiae et Mercurii*, 4, 411-422; PSEUDO-APULEJUS autem qui περὶ ἑρμηνείας scripsit, multa de modis proposuit, quae referre hoc loco sine dubio longum est; modi autem sunt propositiones illae copulativae, condicionales, disjunctivae (cfr. GELLIUS, 16, 8, 9-12) atque etiam formae universales loquendi, ubi pro sententia solum brevissime pronomen ordinale (= *primum, secundum*) vel pronomen demonstrativum (= *hoc* = primum; *illud* =secundum) ponitur; hic vero modi illi septem tantum afferri debent quos CICERO ipse in *Topicis*, 13, 54-57 ita descripsit:

1. si hoc, tunc illud; atqui hoc; ergo illud (= *modus ponendo ponens)* cf. LUCULLUS, 30, 96;
2. si hoc, tunc illud; atqui non illud; ergo non hoc *(modus tollendo tollens);*
3. non et hoc et non illud; atqui hoc; ergo non illud *(modus ponendo tollens);*
4. aut hoc aut illud; hoc autem; non igitur illud *(modus ponendo tollens);*
5. aut hoc aut illud; non autem hoc; illud igitur *(modus tollendo ponens);*
6. non et hoc et illud; hoc autem; non igitur illud *(modus ponendo tollens);*
7. non et hoc et illud; non autem hoc; illud igitur vel non illud.

Sunt igitur modi concludendi, quibus unumquodque axioma dicatur; quaelibet quoque propositio «*tropikon*» vocari potest propterea quod illa enuntiatio indemonstrabilis «*tropos*» (= modus) habetur;

«qua ratione **verum falsumne sit**» = etiam orator fundamenta logicae Stoicae scire debet, ut judicare possit, cur sententia vel propositio vera sit an falsa; ergo regulis concludendi, id est: modis indemonstrabilibus erudiri potest et institui ad verum falsumque in conclusionibus distinguendum.

«quid **efficiatur** e quoque»: ex his verbis idem fere recuperatur atque ex superioribus, ubi quaesitum est, qua ratione *axioma* quodque verum an falsum sit; axioma autem est hoc loco tamquam complexio praemissarum propositionum intellegendum; neque enim de veritate neque de falsitate enun-

www.culturaclasica.com

tiationis in modis indemonstrabilibus agitur, sed concludendi ratio recta aut falsa respicitur et examinatur utrum axioma adjunctum vera sit an falsa adsumptio; inde sequela ex praemissis propositionibus derivata ostenditur conclusio re vera consequens = vera, aut contraria = falsa.

«**ambigue** multa dicantur»: hoc loco ars sophistica commemoratur; multae quidem fallaciae enumerantur in Aristotelis libro, *Refutationes Sophisticae*, ubi distinguuntur, capite 4, pg. 165b 24 - 166b 21, sex fallaciae in dictione et septem fallaciae extra dictionem; oportet igitur scire, quemadmodum hae fallaciae detegantur, verba obscure ac dubie formata divellantur et recte ad originem reducantur.

Ex hisce igitur duobus Ciceronis locis rhetoricorum operum quam brevissime ratio Stoicorum logicae circumscribi coepta est; ibi has partes praecipuas repperimus: doctrinam quamdam «semanticam» de significatione verborum quibus LEKTON et AXIOMA intelleguntur; duo genera propositionum distinguuntur: *simplex* sententia et *copulatae* enuntiationes: propositio aut affirmat aut negat aliquam rem; duplex veritatis vis: verum et falsum agnoscuntur; modi concludendi indemonstrabiles commemorantur; adjuncta (dicta vel axiomata) tamquam adsumptiones vocantur; effectus propositionum praemissarum in conclusione patet, cujus propositum finale aut verum aut falsum esse debet; adnectitur animadversio de multis fallaciis dictionum, quae arte sophistica refutantur; tota haec Stoicorum dialectica bene in eo libro exposita est, quem Joannes ab Arnim composuit, *Stoicorum veterum fragmenta II* (Lipsiae, 1903) pg. 38-94. Addantur hoc loco nonnulla dicta Ciceronis alia de eadem logica:

De Oratore, 2, 38, 157: «Ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem eum fuisse, qui diceret se artem tradere bene disserendi et vera ac falsa dijudicandi quam verbo Graeco «*dialektikēn*» appellaret? In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo judicetur».

Academica Priora II = Lucullus, 29, 95: «Fundamentum dialecticae est»: quidquid enuntietur (id autem appellant «*axioma*» quod est quasi ecfatum) aut verum esse aut falsum; quid igitur haec vera an falsa sunt: «si te mentiri dicis idque verum dicis, mentiris» et «si te mentiri dicis idque mentiris, verum dicis?» haec inexplicabilia esse dicitis; quod est odiosius quam illa quae nos non comprehensa et non percepta dicimus».

Tusculanae Disputationes, 5, 25, 72: «Sequitur tertia (scilicet cogitatio) quae per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat, disserendi ratio et scientia, ex qua cum summa utilitas exsistit ad res ponderandas tum maxime ingenua delectatio et digna sapientiā.

Orator, 4, 16: «Nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem

www.culturaclasica.com

cujusque rei cernere neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus nec judicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere».

Brutus, 41, 152: (Scaevola numquam magnus vir juris consultus fuisset) «nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscura explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam qua vera et falsa judicarentur et quae quibus propositis essent quaeque non essent consequentia».

Topica, 2, 6: «Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes: unam inveniendi, alteram judicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit, Stoici autem in altera (scilicet: parte judicandi) elaboraverunt; judicandi enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia, quam *dialektikén* appellant; inveniendi artem quae *topiké* dicitur, quae et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt».

Postremo dicere non dubitamus Ciceronem verba multa de Stoicorum dialectica cursim fecisse, quibus totam artis cogitandi rationem restituere nequeamus. Nostris autem temporibus contigit ut non pauci viri doctissimi legibus mathematicis usi, illam Stoicorum logicam perditam perfectius redintegrarent et quasi ad finem logicae explorandae pervenirent.

AEMILIUS [EMIL] ORTH

www.culturaclasica.com

De RE- particulae usu et notione apud Ovidium

Cum duo abhinc annos Ovidium Nasonem in schola explicarem, facere non potui quin mirarer usum longe frequentissimum particulae *re-*, quae in omnibus fere carminibus occurrit. Itaque tractanda nunc mihi proposui vocabula ex praepositione *re-* composita, quae apud illum animo occursant quam maxime [1].

Ut nemini non notum est, compositio ita fit, ut bina vel plura vocabula in unum coalescant, quae possint separatim efferri. Porro, compositionis duo sunt genera:

1. *Parathesis* (παράθεσις) est binorum vocabulorum conjunctio permanens, qua certa quaedam res et una significetur.

2. *Synthesis* (σύνθεσις) autem efficitur, cum compositione vocabulorum alterum vel utrumque ita afficitur, ut integritatem amittat.

In *parathesin* referenda est conjunctio verborum quae fit cum praepositionibus, de quibus PRISCIANUS *Gr.* III, 56, 4.

Quibus praemissis, ad rem ipsam transire liceat. Sed antequam ad particulam ovidianam aggrediar, nonnulla praemittenda duxi.

I. DE **RE-** PRAEPOSITIONIS USU APUD AUCTORES

Vocabula a *re-*incipientia non dubium est quin apud scriptores Latinos, summis in deliciis habita semper sint. C. Paucker enumerat 480 verba, quae ex hac particula sunt composita, omissis substantivis et adverbiis derivatis [2].

Jamvero, antiquissimorum temporum novas formationes —ut ait Schoenwitz— colligere difficillimum est; «nam fateri non dubito fieri posse, ut permulta ex iis vocabulis, quae ab hoc vel illo inventa esse arbitrer, jam in antiquissimo populi sermone extiterint et a prioribus quibusdam adhibita

1. Syllaba *re-* occurrit in *retro*, quod verbum compositum est ex praefixo *re-* et eodem suffixo quod in *citro*, *intro* comparet. Cf. A. WALDE, *Latein-etymol. Wörterbuch*, Heidelberg, 1950, p. 422. Componuntur autem cum hac quoque praepositione, etsi antiquissimis temporibus rarissima est, tamen postea verba non pauca, quae invenies apud K E. GEORGES *(Ausführliches lateinischdeutsches Handerwörterbuch*, Leipzig, 1879, pp. 2118-19.

2. C. PAUCKER, *Materialien zur lateinischen Wörterbildungsgeschichte*, in *Vorarbeiten zur latein. Sprachgeschichte* 1, Berlin, 1884, p. 22.

www.culturaclasica.com

sint, quorum aut ne unus quidem liber supersit, aut non omnia opera ad nos pervenerint» [3].

Quod attinet ad inscriptiones antiquissimas, verba cum praepositione *re-* composita non occurrunt. In *Legibus* XII Tab. una tantum vox reperitur, nempe *respersio* [4].

Age dum, multa vocabula novaverunt:

POETAE LATINI SCAENICI, quorum haec principaliora:

Ex PLAUTO: rebito (*Capt.* 380, 409, 747); recalvus, recessim, recharmido (*Trin.* 977; verbum derivatum ex nomine *Charmides*); reciproco, recommentor (*Trin.* 912); recomminiscor (*Trin.* 915); redambulo (*Capt.* 900); redauspico (*Capt.* 767); redimiculum, redipiscor (*Trin.* 1020); referio, reglisco (fr. apud *Fest.* 279, 5); remeligo, renumero, repagulum, repudiosus (*Pers.* 384); repuerasco, requirito (*Most.* 1003); restito, revenio, reverro, revideo.

Ex ENNIO: refugio (*Sc.* 26); regredo (*Sc.* 14).

Ex PACUVIO: redamtruo, repandirostrus, repotialis, reses, restibilio.

Ex TERENTIO: reflecto, relino, resupino, revolo.

Hactenus vocabula quae aut invenit aut certe in litteras induxit fabula scaenica [5]. Sed venio ad

POETAS LATINOS NON SCAENICOS. Apud eos permagnus est numerus compositorum. Et duplex est ratio: severitas nempe legum versus heroici, deinde quod sermonis Latini natura non dactylicis, sed potius iambicis et trochaicis numeris destinata visa est. Nam verborum flexionem et compositionem a dactylis abhorrere nemo negabit; quam ob rem, poëtae nullum non movebant lapidem, ut difficultates metri dactylici superare possent [6].

Sed poëtas ipsos perlustrare libet:

Ex ENNIO haec apparent innovata:

redinunt (redeo) (*A.* 475); remano (*A.* 9); remorbesco (*Inc.* 37); revello (*A.* 472); reverecunditer (*inc.* lib. fr. apud *Prisc.* 15, 13); revincio (*A.* 5, 562).

Ex LUCILIO [7]: repandus (212); resulto (1290).

Ex LUCRETIO [8]: reboo (2, 28; 4, 544); recello (6, 573); reconflo (4, 927); redhalo (6, 523);

---

3. *De* RE *praepositionis usu et notione.* Disertatio inauguralis scripta a GUILIELMO SCHOENWITZ, Marpurgi Cattorum, 1912.

4. X, 6 Fragm. apud CIC. *De Leg.* 2, 60.

5. Vide SCHOENWITZ, *op. mem.* p. 21.

6. J. R. KOENE, *Uber die Sprache der römischen Epiker*, Münster, 1840.

7. Quem Horatius vituperat aliquando. In *Sat.* nempe 1, 4, 8 sqq., quod sermoni expoliendo parum studere videatur:

durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno.

8. Qui in novando licentior fuit. Ob argumenti, quod tractavit asperitatem et nimiam jejunitatem multa vocabula produxit, quae fatendum est usui scriptoris aut oratoris aptiora esse quam poëtae. Vide SCHOENWITZ, *op. mem.* p. 25.

www.culturaclasica.com

renidesco (2, 326); renuto (4, 600); repertor (3, 1036); repulso (2, 130 et 644; 4, 579 et 913); revomo (2, 199).

Ex Catullo [9]: recrepo (63,29); recuro (44,15); reflagito (42, 6, 10); reglutino (25, 9); remugio (63, 28); retono (63, 28, 82).

Vergilius autem non solum a prioribus poëtis Romanis vocabula sumpsit, sed etiam ipsemet multa formavit; ita, ut critici asserere non dubitent, illum de sermone Latino excolendo ditandoque optime meritum fuisse. Cujus haec vocabula sunt:

recidivus (*Aen.* 4, 344; item 7, 322 et 10, 58); recingo (*Aen.* 4, 518); recurvus (*Aen.* 7, 513); relabor (*Aen.* 10, 307); refluo (*Georg.* 4, 262 et *Aen.* 8, 87 et 240; item 9, 32); remulceo (*Aen.* 11, 812); remurmuro (*Aen.* 10, 291); renarro (*Aen.* 3, 717); repercutio (*Aen.* 8, 23); refodio (*Moret.* 88); regemo (*Cul.* 386) [10].

Apud Horatium, qui parcior in inveniendo est, licet majorem in carminibus a metro varietatem habeat, haec nova leguntur:

recalcitro (*Sat.* 2, 1, 20); recanto (*Carm.* 1, 16, 27); redono (*Carm.* 2, 7, 3 et 3, 3, 33); reno (*Epod.* 16, 25); renodo (*Epod.* 11, 28).

Ex Propertio, audaciore quidem sed raro, afferam vocem *revolubilis* 4, (5) 7, 51 [11].

II. VERBA OVIDIANA A **RE-** INCIPIENTIA

Quae interdum audacissima sunt, ut mox infra patebit. Non enim frustra de sese, id est, de sua facundia et prorsus miranda facilitate in carminibus condendis, dixisse fertur:

Quicquid temptabam dicere, versus erat (cfr. *Trist.*, 4, 10, 26).

Et re quidem vera in hac parte unus omnium locupletissimus fuit, nam liberius quam ceteri, et ut dixi, audacissime vocabula nova fingendi jure usus est. Siquidem verba permulta aut ab eo novata omnino sunt, aut primum in poësin inducta. Sunt autem haec:

recalefacio (*Art.* 2, 445; *Met.* 8, 444).
recandesco (*Rem. Am.* 734; *Met.* 1, 435; 3, 707; 4, 530; 7, 78).
reclinis (*Met.* 10, 558).
recompono (*Am.* 1, 7, 68).
recurvo (*Am.* 1, 8, 6; *Ep.* 4, 79; *Met.* 2, 246).
redardesco (*Rem.* 734).
reduncus (*Met.* 12, 562).
refluus (*Met.* 7, 267).
reformo (*Met.* 9, 399; 11, 254).

---

9. Ex parte tantum hexametro versu usus est, multoque moderatior extitit.

10. Haec duo postrema pertinent ad *Appendicem*, quae dicitur, *Vergilianam*, etsi temporis posterioris est.

11. Tibullum, ut vides, missum feci, nam elegans ille poëta rarius artis fines transilire ausus est. Verba a *re-* incipientia, si fidem criticis facimus, non novavit. Vide *op. laud.* sub nota 14, infra.

www.culturaclasica.com

refoveo (*Am.* 2, 19, 15; *Ep.* 11, 58, *Met.* 7, 537 et 10, 187).
refugus (*Ep.* 17 (18), 182; *Met.* 10, 42).
relentesco (*Am.* 1, 8, 76).
relucesco (*Met.* 7, 77 et 14, 679).
remollor (*Met.* 5, 354).
remollio (*Met.* 4, 286).
rememoramen (*Met.* 3, 567).
reneo (*Fast.* 6, 657).
renovamen (*Met.* 8, 729).
reparabilis (*Am.* 1, 14, 55; *Ep.* 5, 103; *Met.* 1, 379).
repecto (*Art. Am.* 3, 154).
repetitor (*Ep.* 8, 19).
repostor (*Fast.* 2, 63).
resaevio (*Trist.* 1, 1, 103).
resanesco (*Am.* 1, 10, 9).
resemino (*Met.* 15, 392).
resequor (*Met.* 6, 36; 8, 863; 13, 749).
resonabilis (*Met.* 3, 358)
resonus (*Met.* 3, 496).
respiramen (*Met.* 2, 828; 12, 142).
resuscito (*Met.* 8, 474; 14, 495).
retendo (*Met.* 2, 419; 3, 166).
retento (*Met.* 1, 746; 5, 117; 9, 208; 11, 792).
revalesco (*Ep.* 21, 231).
revelo (*Ep.* 11, 73; *Fast.* 6, 619).
revivo (*Ep.* 11, 63; *Fast.* 2, 759; *Trist.* 4, 5, 3; *Pont.* 1, 3, 9).
revocabilis (*Met.* 6, 264).
revocamen (*Fast.* 1, 561; *Met.* 2, 596).

Re vera, scriptoribus atque «poëtis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas».

Sed videamus qua potissimum de causa tam crebro Ovidius Naso haec vocabula adhibuerit composita.

Poëtae his vocabulis saepissime usi esse videntur, et propter multiplicem significationem, quam praebet particula *re-*, et propter ejus mensuram versibus accomodatissimam. Metrum namque dactylicum plane adjuvat. De significatione hujus particulae, postea fusius agam. De mensura, en tibi conspectus, ut rem paucis absolvam et pariter appareat:

Mensurae ex Ovd. *Met.* libris IV (a), et XV (b)[12].

	∪ —	— ∪ ∪	∪ ∪ —	∪ — ∪ ∪	∪ ∪ — ∪	— ∪ ∪ —
a	redit 129 refer 477 redit 478 redit 510	repperit 178	referat 43 rediit 231 resonant 333 redolent 393 repetunt 462 requiem 628	removerat 81 recondidit 146 remolliat 286 recondita 339 recingitur 510 recanduit 529 retorqueat 715	referamus 41 resupinus 121 remorata 137 requiescit 166 referemus 170 reparatque 16 religata 682 repetita 733 requiemque 737	respiciens 339

12. Adi sis *op. laud.* Schoenwitz, pp. 28-31. Vide *op. cit.* in nota 14.

www.culturaclasica.com

	— ∪	— ∪ ∪	∪ ∪ —	∪ — ∪ ∪	∪ ∪ — ∪	∪ ∪ — ∪ ∪
b	refert 27	retulit 11 redditur 276 reppulit 292 respice 494 reddita 534	requie 16 redeunt 249 reparat 253 refero 451 reparet 392	retexitur 249 renascitur 274 reseminet 392 repellite 777	relevasse 16 reserabo 145 requieque 214 remeasse 480 resupinus 520 retinere 649 reperitur 795 repetita 684 relevare 496	redolentia 80 renovaverat 125 resolutaque 245 referentia 620 retinacula 696

Aliquando vero, formae minus ad metrum aptae reperiuntur, ut puta, ex libro IV (a), et XV (b):

a) *responde* (143), *reiecit* (474), *restant* (580), *religatam* (671), *requirenti* (679), *reseratis* (761)

b) *relinquentur* (349), *restant* (430)

His enodatis, ut melius videantur ea quae diximus de multiplici hujus particulae significatione, operae pretium est de hac quaestione addere nonnulla. Namque ut supra monui hanc notionis varietatem causam fuisse —et quidem non minoris momenti— qua demonstrari possit, cur poëtae, et in primis Ovidius, tam saepe his compositis usi fuerint. In lexicis nostris Hispanicis ita habetur:

RE: 1. *retroceso* (recedo, rejicio, retraho).
2. *repetición, iteración* (renovo, reporto, reposco).
3. *alternativa, reciprocidad* (redamo, recano).
4. *separación, alejamiento* (removeo, repostus).
5. *intensidad* (recognosco, retorridus).
6. *privación, ruptura* (refigo, rescindo).
7. *oposición* (reluctor, resisto, repugno).
8. *renovación* (revivo, renascor).
9. *perfección* (reficio, restauro, renovo).
10. *devolución, entrega, retorno* (refero, reddo, rependo).
11. *negación* (renuo, renuto, recuso).
12. *aclaración* (repando, revelo).

Ex Gesnero, autem, Corradino et Forcellini haec congerere placuit[13]:

Re- praepositio loquelaris, una ex iis quae per se nihil significant, sed cum aliis verbis conjunctae multiplicem habent notionem. Itaque multo latius patet cum compositis significatio. Notat enim:

iterationem
separationem

13. J. M. Gesner, *Novus Linguae et eruditionis Romanae Thesaurus*, Lipsiae, 1749. F. Corradini, *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii, 1864-1890.

www.culturaclasica.com

vicissitudinem sive reciprocationem (ut redamo).
retro (ut recedo = retrorsum cedo).
perfectionem.
contra sive *adversus* (ut reluctor).
iterum atque iterum, seu *saepe* (ut reputo).
de novo (ut renovo).
inde (ut removeo).
reditum ad pristinum statum (ut recupero = rem amissam recipio; jacturam reparo).
valde (ut redundo).
longe (ut repostus).
contrarietatem suorum simplicium (recludo = clausum patefacio) (retego = tectum denudo).
- *invertit significationem verbi sui.*
- *quandoque autem videtur minuere.*
- *quandoque nihil omnino addit significationi simplicis* (ut repraesento).

Quae quidem significationes apud OVIDIUM fere omnes passim inveniuntur. En tibi exempla ex *Metamorph.*, quae facilius multiplicare possum [14]:

Reddere	a)	*devolver* (vicissitudo)	: 4, 615; 7, 684; 13, 122, 283.
Referre	b)	*corresponder* (reciprocatio)	: 1, 165, 437; 11, 193, 563; 15, 27.
	c)	*volver a dar* (redditio)	: 13, 443; 7, 503; 5, 15, 656.
	d)	*sobredar* (valde = copia)	: 13, 553; 10, 203.
	e)	*ofrecer, rendir* (oblatio)	: 10, 203; 14, 36, 823.
	f)	*entregar, dar* (traditio)	: 6, 122; 13, 26, 272, 372.
	g)	*dar de sí*	: 6, 308; 10, 513; 11, 601, 608.
	h)	*hacer algo para algo (= para un fin)*	: 3, 476; 8, 253; 15, 313.
	i)	*retornar, volver a cambio*	: 1, 656; 2, 35; 3, 387; 7, 481.
	j)	*informar, relatar, contar*	: 1, 700; 2, 562; 9, 5, 15, 167, 277, cet.

Quae cum ita sint, finem scribendi faciam, ut lectorum fastidium tollam. Etenim probasse mihi videor, quantum sat est, qua ratione Ovidius Naso tanta compositorum copia, opera sua passim consperserit. Scilicet, quod particula haec peraptissima semper fuerit ad versus faciendos, ac deinde propter variam ejus significationem.

LEO M.ª SANSEGUNDO, O. S. B.

14. W. FREUND, *Wörterbuch der lateintschen Sprache*, Leipzig, 1840; K. E. GEORGES, *o. c.* ibid. Cf. etiam SIEBELIS-POLLE, *Wörterbuch zu Ovids Metamorphosen*, Leipzig, 1885, et A. F. POTT, *Etymologische Forschungen* 1, 202.

www.culturaclasica.com

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIUM

I. *P. Caelestis Eichenseer, O. S. B., Josepho Mir, C. M. F., Domino illustrissimo, S. P. D.*

Voces proponuntur et disputantur:
tramen, hamaxostichus, *tren, train*
gasum gasium, *gas, gaz*
extraculum, *sacacorchos, tire-bouchon*
expeditor, *factor, expéditeur*
telephonum, radiophonum, magnetophonum
clausura tractilis = fulminea verticularum occlusio, *cremallera, fermeture éclair*
discus soniger, *disco, disque*
pellicula sonigera, *película sonora, film sonore*

Haud scio an numquam intra tam breve spatium ratione cursuali tantis gaudiis completus sim, quantis Tu, mi Domine Reverende, me afficere non dubitasti. Redditae sunt enim mihi inter paucas hebdomades, ne dicam inter paucos dies, eae tres res, quas ad me misisti: fasciculos dico tres PALAESTRAE LATINAE, quorum duo priores anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto sextove typis descripti sunt, reliquus anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto, epistulam dico Tuam jucundissimam, quae est die quinto mensis Aprilis mihi delata, fasciculos dico recentiores PALAESTRAE LATINAE una cum opusculo celebri Xaverii Gómez Robledo S. I., quo luculenter descripsit, qui soni quibus litteris essent conjuncti, cum litterae Latinae maximo incremento augerentur perpolirenturque. Hujus commentationis involucro praeter fasciculum PALAESTRAE LATINAE novissimum atque ornatissimum quattuor commentatiunculae insertae erant pariter exornatae.

Equidem quibus verbis Tibi, mi Domine maxime illustris, gratias agerem animi gratissimi sensus significaturus congruenter, anxius haesitavi nescius. Tamen his tantis cumulatus beneficiis nequaquam silere potui, cum ipse Leo Magnus, papa, in sermone, qui numeratur, sexagesimo secundo dixisset ipsā materiā ex eo, quod esset ineffabilis, tribui facultatem fandi. Gratiam igitur non mediocrem me Tibi habiturum scito! Insuper spero fieri posse, ut quoquo modo omnes commentariorum vestrorum fasciculos, qui inde ab anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto, cum nova ratio scribendi edendive usurpari adhiberique coepta est, foras dati sunt, a procuratore vestro, qui Herbipoli *(Würzburg)* esse indicatur, acquiram. Opusculum autem Patris Xaverii Gómez Robledo verbaque, quibus ille liber Patris Alfonsi Naviae recensus est, Tibi, simulatque commentatiunculam confecero meam, reddam. Qua in re patientia opus erit, oro, aliquarum

www.culturaclasica.com

trium hebdomadum. Mandatum vero Tuum, quo me admonuisti, ut Albertum Sleumer, virum illum doctissimum, qui est in urbe *Bad-Godesberg (Rhein), Beethovenstr. 32,* verbis Tuis salutarem, jam exsecutus sum. Qui multimodis Te, qua es observantia, resalutavit. Libellum autem illum Julii Marouzeau, qui inscribitur *La Prononciation du Latin,* ab Erico Burck, professore illo Kiloniensi, accepi, quem, dum una cum illo Avennione commoraris, certe nosti, cum ex bibliotheca publica Monacensi secundam tantummodo editionem habere potuissem.

Libens autem, quin etiam animo libentissimo, Te me adhortato, ut si mihi commode fieri posset, res quasdam commentarer, obsequerer nisi in praesentia versarer in commentatione academica tandem perficienda, quae his fere verbis inscribitur: «Symbolum Apostolicum quomodo creverit coalueritque quamve potissimum formam et explanationem exhibeat sanctus Augustinus» = *Das Symbolum Apostolicum beim Heiligen Augustinus, mit Berücksichtigung des dogmengeschichtlichen Zusammenhangs).*

Animum induxi ut lexicon quoddam nominum, verborum dictionumque Christianarum conderem juncturis verborum attente designandis non neglectis. Quod opus libentissimo animo efficerem, cum jam pridem perspexissem, quot quantive thesauri ex schedis paene innumerabilibus *thesauri,* qui dicitur, *linguae Latinae,* qui est Monaci, possent erui. Accedit, quod eis, qui illi operi ingenti conficiendo insudant, ex consuetudine jam diuturna familiariter usus permittor, ut et schedas et libros bibliothecae, quantum mea rēfert, inspiciam et usurpem occasione ultro liberaliter data de rebus difficilibus consulendi. Dei autem fretus auxilio Tuisque confisus precibus Conditori Salvatorique adhibendis spero res bene posse disponi. In praesenti autem omnibus viribus id studeo, ut ea, quae de litteris Latinis Latine efferendis necessario conscribenda cohortandaque ducam, colligam, considerem, componam compositaque Alberto Sleumer mittam lexico novo praefigenda. Sed haec quidem hactenus.

Maxima delectatione animi ex scriptis Tuis cognovi plurimis locis Te tales sententias protulisse, quales jam dudum desideravi propositas. Scripsi enim pridie Kal. Octobres anno MCMLIV ad Hamletum Tondini, moderatorem commentariorum *Latinitatis,* mea sententia vocabula artis, vocabula technica rerum recentiorum, radicibus suppositis Latinis (etiam serioribus) fingenda esse, ubi nullum verbum scriptorum optimorum reperiri posset aptum atque idoneum. Magno etiam studio demonstrare contendi in locum *hamaxostichi* nomen *traminis* substituendum esse (Cf. *Soc. Lat.* 2 (1934) 48; *Pal. Lat.* 27 (1957) 31). Tamen in commentario *Latinitate* repperi hoc, quod modo dixi, nomen reiciendum esse quasi sermonem saperet Folenganum (*Latinitas,* IV (1956) pag. 11 sq., adn. 19). Huic sententiae non assensus nihilominus paulo post intellexi nomen *traminis* usurpari non posse, cum hac voce alia res significetur. Etenim est *tramen* Romanis antiquis id, quod

www.culturaclasica.com

Graecis ῥοδάνη (Vide Grammaticos Latinos, ex rec. Henr. *Keilii*, vol. IV (Lipsiae 1864), pag. 584, 48: «hoc tramen et subtemen ἡ ῥοδάνη». *Char. gramm.* I 38 (XIV) (ed. *Barwick*. pag. 41, 1): tamen ῥοδάνη traminis, gramm. V (ed. *Barwick*, pag. 463, 18): hoc tramen et subtemen ἡ ῥοδάνη cf. etiam *Forcellinianum lexicon totius Latinitatis*).

Similiter puto cum Sleumero dicendum: *gasum*, non *gasium*, ut Bacci voluit (cf. *Sleumer* [2], pag. 80, *Bacci*, [3] pag. 389; *Pal. Lat.* 27 (1957) 33). Eodem modo mihi magis placent nomina *extraculi* et *expeditoris*, quae ibi proposuisti. Quibus vocabulis decernendis laudibus facere, quin Te extollerem, non potui, quod adnotavisti, quid singuli auctores ad rem designandam jam protulissent. His verbis recte novandis accedit, quod exempla Graeca secuti multo melius dicimus *tēlephōnum*, *radiophōnum*, *magnetophōnum* aliaque hujus generis quam *telephonium*, *radiophonium*, *magnetophonium*, qualia nomina Itali malle videntur. (Cf. *Pal. Lat.* 27 (1957) 40 sq.; *Soc. Lat.* 18 (1951) 17; Bacci, *Lexicon* [3] 316, 378, 646, 704; *Lat.* 3 (1955) 132; *Lat.* 5 (1957) 19, 23: pauca exempla selegi).

Ibidem Antonius Bacci de *fulminea verticularum occlusione* scribit (*Lat.* pag. 32 et 71). De qua re ei respondi meo quidem judicio praestare *clusuram tractĭlem* sive *claustrum tractĭle*. Nostratium enim vocem si recte dinosco, video agi de claustro quodam vel clausura sive clusura, quae rapide aut claudatur aut aperiatur trahendo. Nam «reiben» est rapere, trahere. Est autem, secundum *Thesaurum*, qui dicitur, *linguae Latinae* claustrum sive *claustra* (—orum) etiam instrumentum claudendi mobile vel arte factum (ThLL III 1319, 30 sqq.). Similiter est clausura, cujus forma, quae est clusura, usitatior est, licet multis locis lectio clausurae tradatur, praeter actum claudendi etiam instrumentum, quo aliquid clauditur (ThLL III 1326, 82 sqq.). Cui nomini, ut res ad claudendum adhibitae inter se distinguantur, adjungi potest adjectivum verbale, quod a trahendo ducitur. Nam secundum Forcellinianum lexicon totius Latinitatis *tractĭle* est id, quod facile trahitur. Idem in thesauro glossarum emendatarum legitur, quem Georgius Goetz anno MDCCCLXXXVIII Lipsiae edidit. (*Corpus glossariorum Latinorum*, vol. II, pag. 295, 21: *tractilis*, vide var. lect., et pag. 559, 50: *tr*-xxx-*lis*). Alia monumenta non exstare videntur. Quo emolumento hoc vocabulum aliunde non esse onustum apparet alia vi.

Id autem, quod alii appellant *discum grammophonicum* (cf. Prof. Guerrino Pacitti, in commentariis: *Premier Congrès international pour le latin vivant*, Avignon 1956, pag. 72) seu *grammophoni* (cf. *Soc. Lat.* 2 (1934) 8, cf. 4 (1936) 37), alii *phonographicum* (Bacci, Lexicon [3], pag. 273; Mir, *Premier Congrès international pour le Latin vivant*, Avignon 1956, pag. 125, 126), malim dicere *discum* (seu orbem) *sonigerum*, si de *pellicula non muta*, *pelliculam sonigeram*. Hoc vocabulum nusquam invenitur nisi duobus locis, qui sunt hi: Aug. (Ps.-Aug.?), *serm.* 28, 4 (ed. A. *Mai*, *Nova patr. bibl.* I, p. 63), et *De Rossi*, *Inscr.*

www.culturaclasica.com

Christ. II, p. 245, 4, 5. Qua in re adnotandum esse videtur non ipsas taeniolas sonare, unde meo judicio *sonorae* vix dici possunt. Neque adjectiva, quae sunt: *resonabilis, resŏnus, sonabilis, sonus,* huic rei significandae congruunt. Omnes enim harum vocum schedas, quae in *thesauro linguae Latinae asservantur,* perscrutatus sùm.

Ingens autem gaudium mihi illo indicio *Palaestrae Latinae* (num. 45.) parabatur, quod inscriptum est: *linguaphone,* quo haec proposita proferuntur consilia: Latinum ope linguaphone: introductionem constituit probatam, ad Latinitatis studium facile reddendum atque jucundum, phonogrammatum apparatus atque eorum collustratus *(melius:* imaginibus explanatus) textus. Quae res novis argumentis confirmata videtur esse, cum in actis Congressus primi variarum nationum non uno loco hujusmodi consilia capiantur et renuntientur quasi sint ad effectum jam adducta.

Quid, possuntne jam hujusmodi disci sonigeri emi, et quibus condicionibus comparari possunt? Gratias equidem quam maximas Tibi agerem, easque quidem ex animo, si hac de re mox certior fieri possem.

Postremo hujus epistulae finem facturo mihi nihil restat, nisi ut iterum ex animo Tibi, Domine Reverende, pro omnibus beneficiis gratias agam et pro eis imprimis libellis, quos mihi donum dare non dubitasti. Si autem condiciones Deo Omnipotenti benigne annuente ita tulerint, ut Monaci remansurus consilium certum capere possim, libentissimo animo pro viribus id studebo, ut nonnulla Latine commenter vestris in commentariis divulganda.

Ad diem autem festum Resurrectionis Domini dono Te ditet divino idem Deus homoque, qui quanti nos faceret, nobis demonstravit, cum mortem pro nobis subiturus chirographum vetus rescissurus in cruce passus sanguinem saluberrimum pro peccatoribus miserrimis profudit. Ejus passio, quae postremo evasit victoria gloriaque perpetua, nobis quoque sit symbolum necesse est, quo certiores facti sciamus altius cadere nos non posse quam in ipsius amplexum.

Valere Te in Christo cupio et meminisse mei!

Dabam Monaco die quinto decimo mensis Aprilis anno MCMLVII.

Josephus M.ª Mir, C. M. F., P. Caelesti Eichenseer, O. S. B.,
pacem et salutem plurimam.

Litteris tuis, quae puram scitamque spirant Latinitatem, me in dulcissimum Christi Domini amplexum venire cupiebas: nihil sane dulcius his paschalibus, quae agimus, festis, quam in suavissimum Servatoris cadere amplexum. Ibi tecum divinae caritatis ignem percepi; ibi et amicum «caeles-

www.culturaclasica.com

ti» dono repperi quocum in posterum amicitiae officiis et studiorum amore conjungar.

Quod nova protulisti argumenta, quibus patet vocem *tramen* ex Latinitatis thesauro esse eductam, neque ideo Folengano adscribi posse sermoni, maxime delectatus sum. Hoc primum; deinde vero id sciendum non semper plenam planamque rei cum voce adesse convenientiam —quod in omnibus notum est fieri linguis— cum mens nostra totius rei significationis partem tantum saepius uno possit exprimere verbo; multoque minus perfectam absolutamque exquirere possumus convenientiam cum res nostrae aetatis et inventa minutissima generalioribus Romanorum vocibus aptamus, sed quandam aequalitatem aut similitudinem: ut saepe fit vel in novis significationibus, quibus voces ad novas res exprimendas, ex quadam novi sensus convenientia vel similitudine cum primigenio sensu, facile deducuntur. Sic voces ipsae quae sunt *tren, train, treno, Zug,* cet. jam in communi populorum sermone erant et adhibebantur ad alia exprimenda prius quam ad rem hanc significandam —ad currus scilicet vaporitraha tractos— saeculo elapso sunt deductae. Cum autem in Latino sermone apta desit vox ad illam rem designandam, fas erit —primigenium sensum parum deflectentes— vocem sumere quae ex eruditorum sententia cum *trans · trameo · traho* verbis conjungatur —nam etymon non plane liquet—, illudque significet instrumentum quo *trameare* aut *trahi* possimus; neque vero sensus primigenius *tramae* et *traminis* (qui est subtemen, ἡ ῥοδάνη) obstare videtur cum ῥοδάνη latine sit *trama · tramen* ex eo quod *trans* iit vel *trameat* vel *trahit*; qui primigenius vocis sensus in ea re, de qua agitur, prorsus invenitur.

Eritne major significationis vis in illo hamaxosticho Graeco —in illa curruum serie— quam in tramine: «quo trameare possumus» aut quo «trahimur»? «Nam *tramen* —ex FORCELLINI sententia, *(Lexicon* s. v. *trama)*—, ejusdem significatus [ac trama], a *traho,* ut *nosco* a *nomen,* a *luceo lumen*».

Extraculum et *expeditorem* te probasse video, et *gasum* te malle dicere cum Sleumer et Avenario, quam *gasium* cum Bacci et aliis; Jacobelli *(Novi flores,* Romae, 1914, s. v.) et Cognasso, *(Il latino,* Torino) praeter *gaz,* cum Lurzio *gas,* gen. *gasis* quoque praebent.

Ad sententiam Lurzii de adhibendis nominibus *telephono, radiophono, magnetophono* te accessisse probo. Quibus rationibus, qui contra sentiunt innitantur, prorsus nescio. Illud tamen est considerandum compositorum terminationes saepe, adjecta littera *-i-* emolliri; quod plurimis comprobatur nominibus: *nox · aequinoctium, cinctus · semicinctium, cena · antecenium scaena · proscaenium, cano · gallicinium, ludus · proludium, diludium, annus · decennium, sexennium,* cet. Qua moti ratione forma illa, quae *—i—* quodammodo mollescit, neque impugnanda neque rejicienda multis videatur. Illa tamen composita *stilographum, dactylographum, telegraphum* si hac ratione emolliantur *(stilographium),* ut composita ex *graphio* haberi nequeunt, ut alibi

www.culturaclasica.com

—PALAESTRA L. 26 (1956) 169— dixi, sed sunt composita ex verbo γράφω, cujus tamen forma in composito Latino, adjecta littera —*i*—, protrahitur et mollescit: *stilographum - stilographium* (?).

Vocem *cerniera - bisagra - charnière* optime est Bacci interpretatus; quam etiam interpretationem in PAL. LAT. (23 (1953) 92) confirmatam videas, ubi: *bisagra* = «ferrea vertebra» scriptum leges. Eadem vox ad latine *cremallera - chiusura lampo* significandam, cum alia non suppetat, adhiberi potest; tamen si me consulis, potius *verticulas* dicam *imbricatas;* nam reapse «verticulae» in illa occlusione seu clausura imbricari quodam modo videntur; quo non nihil etiam brevitati consulimus; quin «fulmineam illam Bacci verticularum occlusionem» et «clusuram tuam tractilem» parvi pendamus, nonne dicere possumus: «vestis, quae verticulis imbricatis occluditur»: *vestido con cremallera - una veste a chiusura lampo?*

Sonnigeram illam tuam *taeniam* et *pelliculam* libenti accipio animo; eamque «pelliculae vocibus intersertae» anteponam; est enim brevior omnibusque clarior locutio. *Discus* tamen *grammophonicus* vel *phonographicus disco sonnigero* praestare videtur, cum ex ipsa rei significatione, tum ex eo quod ab omnibus intellegetur facilius cum, disco —quod proprium ac peculiare est— adjicimus, id est *grammophonicus · phonographicus* (discus). De phonographo et grammophono, ceterisque aptissime P. Ild. González disceptavit (PAL. LAT., 23 (1953) 9).

Quae ad te missa sunt, pervenisse maxime gaudeo: quibus et his quae nunc mittuntur, commodo tuo utere libenter.

De Cursu illo Latino CCC imaginibus collustrato ac discis grammaphonicis instructo propediem exeunte anno et tu et PAL. LAT. legentes aliquid novi scietis.

Festis paschalibus nondum expletis gaudere et laetari vehementer te jubeo in Domino. Pax et gaudium tibi, valeasque plurimum in Domino.

Scribebam Barbastro, sabbato ante dominicam in Albis, qui dies fuit vicesimus septimus mensis aprilis, anno MCMLVII.

Quibus litteris ipse P. Caelestis, die quarto m. Maji, his verbis rescripsit:

...«Ceterum verbis tuis et benevolentissimis et sagacissimis effecisti, ut in sententiam tuam, quam de *traminis* vocabulo nihilominus retinendo adhibendoque protulisti, discederem ea quoque probaturus, quae de *disco grammophonico* sive *phonographico* disseruisti.

Qua quidem in re meo judicio observandum erit, ne obliviscamur sermonem Latinum in varia dicendi genera dividi. Quam condicionem qui respexerit in verbis eligendis, ubi complura sunt in promptu, pro consilio suo aptiora deliget occasione data, quibus quae sit verbis expressurus ad intellegentiam eorum, qui audiunt ipsum vel legunt, se accommodet. Itaque apud nos quoque eadem res duobus nominibus significatur: *Grammophonplatte, Schallplate.*

Illud quoque, ut hanc rem vel leviter attingam, mihi non displicet, immo perplacet, quod illam *clausuram tractilem verticulas* vocasti *imbricatas*. Legi apud PLINIUM, *(nat.*, 11, 1): «imbricatis... vertebris» (cf. THLL. VII, 1, 426, 59-34). Sed nomen *verticulae* ego *vertebrae* praeferrem...

www.culturaclasica.com

II. *Andreas Avenarius S. V. D. Joseph Mirio C. M. F. compresbytero gaudium.*

Jam hoc satis mirum quod epistula data abs te quarto Aprili mihi redditur duodecimo tandem die (quo die ante annos sexaginta unum ad primam communionem accessimus, cum esset dominica in Albis). Putabam iter ex Hispania in haec Cecoslovachiae confinia quatuor diebus confici. Superiores litteras datae ad te erant mense februario, die 10. Scito me post eum diem paulatim ex thrombophlebitide convaluisse adeo, ut extra lectum sessitare liceret, primis Martii diebus ambulatiunculas auderem suscipere. ...Sequuntur deinde dies meliores et nunc, tametsi circumligari oportet suram sinistram inunctam hirudoido, tamen ad pristinum vigorem redisse videor neque affigor lectulo atque desidiae.

Propero nunc ad ea folia quae abs te data accepi modo. *Heftzwecke* videtur revera vestra *chinche*, sed depictam rem videas in Dudeniano imaginato vocabulario *(Duden Español-alemán* vel *Duden italiano)* tabula 76 n. 24, Itali nominant *puntina, cimice. Sicherheitsnadel* in eodem Duden habes tabula 14, n. 5. Sed pingam ipse post.

Fasciculo anni primo vehementer gavisus sum et laude ornandus es mihi, quod illum scrupulum tam prudenter evitasti. Gratissimum hoc fecisti quod Folengiani sermonis specimen rettulisti. Nam sic etiam amici intellegent, Folengo quo genere sermonis usus sit. Hoc genus typographantur hodie in Italia folia. Zara, comes meus in illa Congregatione Fidei propagandae ocius, totam historiam recitavit maccaronice conscriptam et risus commoventem. Ceterum in Germania ejusdem generis exempla inveniuntur, ubi Germanicis verbis terminationes suppinguntur Latinae.

Sed valde me movet, quod de dato ad me lexico scripsisti, cujus ego necdum vestigium conspexi. Profectum suspicor ad aliquod officium examinandis libris exteris, ne quid introducatur quod noceat humano generi alienae linguae. O quando videbimus eum diem, ubi homines intellegent se ad unum omnes ab eodem protoparente prognatos et communem matrem omnium Evam ab Adamo vocari. Tam pretiosum donum, simulatque redditum erit, litteris a me tibi significabitur.

Quod Morabito Balde placet jucundum scilicet mihi est. Utinam exemplaria exstarent operum ejus! Credo editionem operum omnium recentissimam esse eam quae facta est anno 1719 Monachii. Odarum libri editi sunt Monachii 1844 et Monasterii Westfaliae anno 1856. Hodie illos libros in magnis bibliothecis invenias et in tabernis librorum antiquorum. Utinam aliquis curet novam editionem operum omnium tam praeclari sideris Parnassi!

Ejus *Cygnum*, quem ad me dedisti, scito recte a me transcriptum, «chrystallum» si excipias. Putaram antiquitus etiam «chrystallum» scriptam, sed

www.culturaclasica.com

erratum erat, nam et Graeca forma est «crystallus» et ipse in meis transcriptionibus 'crystallus illa' scripsi. «Effugas caliginem» puto nihil obscurum habere. Ille autem versus: «Christianus auxilium» sic scribendus est. Nam docent, qui de metrica tractant, poëtas interdum ex *i j* facere. Et hic, si versus enuntias syllabas, legere debes sic: »Chrístiánus Aúxíljúm». Hujus rei exempla sunt in grammatica. Nam poëtae metri causa interdum pro 'abiete' «abjete» dicunt, pro «genua genva», ut in hexametrum introduci possint talia vocabula.

Restat ut pauca dicam de illis vocibus, quae exhibet *Alma Roma* in negotio mensario, sed hoc cras et in alio folio, et quoad mea patitur tenuitas.

Tibi et illis fratribus felicia obtingant festa paschalia. Tyrsirutis pridie Idus apriles, anno 1957.

Jos. M. Mir, C. M. F., P. Andreae Avenario, S. V. D., pacem et salutem plurimam

Video te adhuc thromboplebitide laborantem, quamquam vires et corporis et animi satis sunt restitutae; perficiat Dominus opus suum et cum sua gratia tibi valetudinem viresque ad implenda munera benigne largiatur.

Dum haec scribo litterae mihi afferuntur, quibus Holzer, amicus noster, de *claviculis orbiculatis*, de *acu tuta*, de *tramine* ceterisque quid sentiat, acute expromit.

De Cygno Baldeano docte monuisti, quem his pagellis inscriptum socii legent.

Lexicon Hispanicum «Vox», quod jam diu ad te miseram ad tuas manus nondum delatum esse, vehementer doleo et aegre fero. Publicis tabellariis non est parcendum. Si tandem ad te lexicon pervenerit, fac sciam.

Quae de vocibus ad argentariam spectantibus mecum disputasti in alium diem differam rursus investiganda et dilucidanda; hoc tamen fasciculo Holzer de non nullis vocibus sermonem instituit, quae tamen aliae esse videntur quam quas tu litteris attingis.

Valetudinem tuam quam diligentissime cura.

Barbastro, Dominica in Albis, a. d. IV Kalendas majas, anno MCMLVII.

III. *Josephus Holzer, Patri amicissimo Josepho Mirio sal. plur.*

Proponuntur et expenduntur novae voces:
(pressoriolum), pulsabulum, malleolus, globulus, *pulsador, botón, bouton (de la sonnette)*
pede plana, *planta baja, rez-de-chaussée*
extraculum, *sacacorchos, tire-bouchon*
clavulus muscarius, *chinche, chincheta, puntaise*
acus fibulata, tutoria, acus tuta, *imperdible, épingle de sûreté*
tramen, hamaxostoichia, *tren, train*
signum publicae inscriptum (nota p. inscripta) *marca registrada, marque enregistrée*

www.culturaclasica.com

diplomate, litteris patentibus munitus, *patentado, patenté*

non nullae quoque voces de re nummaria proponuntur.

Opto primum, ut hoc hebdomadis sanctae triduum simulque Anastaseos divinae dies tibi, amice, optime procedant. Deinde serpat sermo ad ea, de quibus meum judicium audire vis. Proferam id pro potestate.

Incipio ab Avenarianis novis vocibus. Expungenda esse puto *pressoriolum, insaponare, persaponare, terrenas partes domus, terrena conclavia, birotalia, ecpomasterem.* Pro *pressoriolo* —quamvis exstet *pressorium* pro torculari quodam— suffict *pulsabulum, malleolus, globulus.* Alicubi in aede sacra inscriptionem vidi portae cuidam affixam: «Confessionale sacerdotum». Juxta appositum erat tintinnabulum electricum, super quod legebantur verba: «*Globulum* imprimas!» Ad *insaponare* quod pertinet, tu ipse rem satis superque confecisti. *Terrena conclavia* suppleantur *pedeplanis*, uti tibi jam placuit. *Birotalia* mihi esse vox ambigua videtur, cum facile de illo vehiculo intellegi possit, quod pedibus agimus. «Gemini axes, gemini longurii, *curriculum rotarium*» rem satis oculis subjiciunt. *Ecpomaster* ingeniose quidem fictum; sed cur ad Graeca confugiamus, cum jam dudum prostet *extraculum? - Heftzwecke, puntaise, cimice, chinche, chincheta* mihi est *clavulus muscarius.* Nam a Vitruvio, 7, 3, 11 *muscarii* clavi dicuntur, qui sunt capite latiore et in modum umbellae, cujus modi sunt comae quarumdum herbarum, quae ideo muscaria appellantur (cf. FORCELL. *Lex.* s. v., quae est *muscarius*). Pro *Sicherheitsnadel, spillo di sicurezza, imperdible, épingle de sûreté* jam pridem Avenario suasi ut *acum cautam* adhiberet. Verumtamen libenter concedo eam, quam tum proposueram, dictionem magis suffugium fuisse quam inventum ingeniosum. Rem iterum meditatus hoc habeo quod dicam. Hoc acus genus est filum chalybeum in medio in modum spirae vel cochleae retortum, quo tensio quaedam efficiatur et filum circumductum in duo aequidistantia abeat hastilia, quorum unum in propatulum reduncum excurrit ad alterius hastilis spiculum recipiendum. Sic quodam modo cavetur ne sua sponte adaperiatur et amittatur. Opponitur igitur *acui capitatae -Stecknadel, alfiler, spillo.* Cum vero *Sicherheitsnadel* simul et acus et fibulae vicem expleat, id acus genus videtur nuncupari posse etiam *acus fibulata.* Sed *tutoria* quoque *acus* rem luculenter denotat. Quae tu igitur, mi Miri, philosophatus es de acubus crinalibus aut comatoriis, quibus mulieres utuntur ad crines discriminandos, ea plane a veritate absunt. Haec dicta sunto de eis, quae amicus Tyrsirutensis proposuit. Quae omisi, recte se habent ex mea sententia.

Jam venio ad tuas ipsius, suavissime rerum, quaestiones. Orasti enim ut aperirem, quid de *tramine et hamaxosticho* sentirem ipse. Difficile sane est me quicquam novi addere eis, quae tu in proximo PAL. LAT. fasciculo luculenter disputasti. Ut ingenue sententiam proferam, mihi ipsi maxime arridet *agmen vehicularium* neque tamen puto a *tractu* aut *tramine* recedendum esse.

www.culturaclasica.com

De *hamaxosticho* haec accipe: Nuper mihi Saropontem proficiscenti obviam fit collega emeritus. Summum tempus erat. Tum hoc contigit colloquiolum subitarium: «Quo ferris, mi rector, tam celeriter»? Ipse ego: «Ad hamaxostichi stationem; Saropontem cogito». Tum ille: «Quid sibi vult hamaxostichus? Dic ἁμαξοστοιχία et acue Graecos imitatus litteram i ultimae syllabae». Transviario accedente curru colloquium abruptum est. Manibus inter nos porrectis diximus vale. Ipse inscendi, eo ad sua properante. Collegae igitur animus offendebatur laborioso *hamaxostichi* pronuntiatu et propterea Graecam voculationem retineri volebat. Equidem accipio ejus judicium et suadeo, ut saltem *hamaxostoechia* appelletur. Sonat plenius, non haeret lingua in pronuntianda voce.

Tum de foliis illis commendaticiis. Laudo tuam sollertiam. Ipse tamen, si interrogatus essem, ut redderem latine, sic interpretatus essem: *marca registrada: signum* aut *nota publice inscripta* aut *inscriptum; patentado: diplomate* aut, ut hujus aetatis consuetudini concederem perspicuitatis gratia, *litteris patentibus*, qu. v. munitus.

De *posta* et derivatis satis disceptatum est, ne dicam, nimium. Ea vocabula, quia arbitror non redamatum iri, ne iterum invehere in sermonem Latinum conemur! *Loculus tabellarius* optime rem significat. Proinde vitemus molestas disceptationes, quibus tamen nihil efficietur.

Restat, ut ad rem argentariam propius accedam quam suscepisti latine tractandam. Negotium aggressus es, quo nihil est in orbe difficilius. Qua propter non possum quin tua studia summis prosequar laudibus.

Optime fecisti, quod ea, quae Josephus Fornarius in *Almae Romae* involucris habuit, in tuum usum convertisti. Fornarius enim erat juris peritissimus cujus etiam est in argentaria re versari ex officio. Itaque ejus proposita secure adhibere possumus. Sic *emittere* recte usurpatur eo sensu, quo Hispani *emitir* dicunt in re mensaria: e. gr. syngraphas, titulos rei publicae emittere. «Fructiferae syngraphae»: *cupone. Tinsscheine, coupons;* «nummaria tessera» *billete de banco;* «obligationis chirographum» *obligación.* «Perscriptio» est *cheque* i. e. solutio, assignatio, delegatio pecuniae per scripturam. Perscriptione certa pecuniae summa ab argentario alicui personae curatur solvenda. Sic perscriptioni opponitur numeratio aut repraesentatio. Perscriptio igitur pertinet ad pecuniae per scripturam commercium, ad pecuniae commercium, quod litteris fit. (Cf. Ovidii *Artis amatoriae* libr. I, v. 425-428):

> Hoc fore contentam multos jurabit in annos
> Nunc opus esse sibi, nunc bene dicet emi;
> Si non esse domi, quos des, causabere nummos
> *Littera* poscetur, ne didicisse juvet».

Littera igitur hoc versu eundem habet sensum, quo Hispani in re argentaria *letra* adhibent.

www.culturaclasica.com

Haereo tamen in *schedinummo*. Accipi enim meo humili judicio potest etiam de nummis chartaceis, ut solidis opponantur nummis ex auro, argento, aere, nichelio. *Schedinummi* mihi generaliter sunt pro *papel moneda*, si recte vidi. Quid tibi videtur?

Rem pro viribus ad umbilicum adduxi. Auctor autem sum, ut vocabularium, veluti alias fecisti, subicias, in quo etiam haec invenientur latine reddita:

Deckung, cover, couverture, cubrimiento: «praesidium»;

Konto überziehen, overdraw one's account, dépasser son compte, rebasar su cuenta: «supergredi computationum continuarum praesidium, superexhaurire, excedere modum computationum currentium»;

Sparbücher, libreta de ahorros: «libelli parsimoniae»;

Kündigung, aviso: «vinculum» e. gr. libelli parsimoniae vinculo adstricti»;

Anzahlung, primer pago a cuenta: «expensum»;

Forsitan meliora invenies! Mea mihi non satis placent. Memini praeterea me aliquando, nisi omnia me fallunt, in *Societate latina* legisse ab moderatoribus Instituti Romanis studiis provehendis peculiarem parari de re pecuniaria et mensaria vocabulorum indicem. Nescio tamen quid interim re vera effectum sit. Qua de causa suadeo tibi ut in re adeas eum, qui est ab epistulis Instituti Romani, per litteras simulque tibi adhibeo preces, ut etiam me edoceas, si quid certi expiscatus fueris.

Cura, ut valeas et me ama!

Scr. Sara Ludovici a. d. XIII Kal. Majas, a. MCMLVII.

Josephus M.ª Mir, C. M. F., Josepho Holzer, Rectori et amico, salutem et pacem plurimam.

Paschalia sollemnia superis cumulata sunt gaudiis, quibus et grata amicorum accessit memoria. Tua tandem epistulā disquisitiones de nominibus faciendis aŭt aptandis nova luce collustrantŭr.

De his, quae prudenter et acute disputas, tibi assentior; quae vero de *acu tuta* vel *tecta* pagina 34 superioris fasciculi dixi, omnino sunt rectractanda —uti mones—; diu mihi haesit aqua; mens erat amicos consulere, quod deficiente temporis spatio, facere non potui.

Non displicet *acus fibulata* pro *imperdible - Sicherheitsnadel*, cum haec nostrae aetatis acus maxima conjungatur similitudine cum Romanorum fibula; acus *tutoria* aptius sensum exprimere videtur qui vocibus *spillo di sicurezza, éplingle de sûreté, Sicherheitsnadel* inest, i. e quae *tuetur*, quae *protegit* Res acu innexas, infibulatas, ne amittantur: sensus «activus» est = acus quae ad res tutandas inservit. *Acus* vero *tecta* vel *tuta* sensum, qui voci Hispanicae *imperdible* modo negativo (=quae *amitti nequit)* inest, latine positiva ratione red-

www.culturaclasica.com

dere videtur, quod haec acus cum sit tuta, tecta, contecta neque ipsa acus neque res infibulatae amitti possint: quo «positivo» modo acus dicitur tecta (=*guardada)* ne IPSA aperiatur et amittatur.

De *tramine* —ut tu de *posta* et derivatis recte admonuisti— nec verbum amplius, satis est enim a nobis disputatum.

In illis adhibendis verbis, quae commendaticiis sunt inscripta foliis, multum «mecum rem volutavi et diu disputavi». Joveus noster dixerat: «cerae auctoratae» pro *velas garantizadas*, «perfectae puritatis auctoratio» pro *garantía de absoluta pureza:* sed hunc sensum in verbo *auctōror* haud facile invenies.

Vocabula ad argentariam spectantia, ut a te mittuntur, evulgavimus; de his in animo est parvum lexicon propediem conficere ad sociorum commodum in NOVIS ET VETERIBUS edendum.

Schedinummum recte animadvertis nummum chartaceum (=*papel moneda)*, ex ipsa vocis origine, significare; sed apud nos, Hispanos dico, *billete de banco* pro quocumqe nummo chartaceo (seu *papel moneda)* vulgo sumitur.

Ex disputatione Guerini Pacitti, quam in Conventu Avennico legit et quae in Actis est typis expressa et rursus ab Instituto studiis Romanis provehendis in vulgus emissa, C. Mariano lexicum de re nummaria condidit; cujus exempla proferuntur, et a Bacci quoque saepe commemorantur. Librum ut amicus Romae emeret commendavi. His tamen ad te datis litteris, librum nondum editum esse accepi.

Haec habui quae tecum raptim de novis vocibus disputarem.

Omnia apud te recte se habeant; cuncta bona vobis largiatur Deus.

Amicos memoria tenete et valete.

Barbastro, pridie Kal. majas, anno MCMLVII.

ANDREAS AVENARIUS LECTORI

In eo commentariolo, quem in PALAESTRA LATINA (1956, III) de Jacobo Balde poëta edidi, mentionem feci Cygni Lauretani ejus quo is post longiusculum prooemium litanias Lauretanas metrice pieque circumscribit. Has admodum puer e quodam codiculo exscripsi et interdum recito. Codiculus, amplectens odarum et silvarum libros cum Cygno, bellico furore interiit. Cygnum tibi oblectationis gratia tuae huc transcribendum duxi. Est in hunc modum:

www.culturaclasica.com

CYGNUS

Sancta, dic, Maria sancta,
Cujus est divina Proles,
Sancta Virgo virginum.
Mater illibata Christi,
Gratiae fecunda Mater,
Pura mente, casta sensu,
Mater integri pudoris,
Mater excitans amores,
Conditoris et salutis
Mater admirabilis.
Virgo ter verenda, salve,
Virgo salve praedicanda,
Nulla vox humana vires
Virginis potentis aequet,
Vincis omnes, Virgo clemens
Et fidelis Virgo, laudes,
Virgo prudentissima.
Diceris crystallus illa
Juris in qua forma splendet,
Diceris scientis illa
Cuncta sedes esse Verbi,
Diceris maerore pulso
Causa publici triumphi,
Causa nostri gaudii.
Vas honoris, vas decoris,
Virgo, vas insigne gemmis.
Cum fragrantis flore nardi
Cumque odore cinnamomi
Spiritus pio calentes
Ture volvis et rosarum
Germen halas mysticum.
Tu Davidis alta turris
Arduis eburna pinnis,
Fortium de qua virorum
Omnis armatura pendet,
Tu domus subnixa septem
Purpuratis es columnis
Aula Regis aurea.
Quisquis evitare bellum,
Cum Deo sancire pacem
Optat exsolvique noxa,
Foederis contingat arcam.
Clausa quondam nunc aperta,
Arta per te lata nunc est
Facta caeli janua.
Nocte qualis evoluta,
Cum minores egit ignes,
Stella matutina fulget:
Talis, o decora, luces
Nubilasque mortis umbras
Mentiumque luctuosam
Effugas caliginem.
Tu salus fugare morbos,
Tu reis patens asylum
Supplices celare nosti;
Cum dolores et pericla
Ingruunt terra marique,
Unicum certumque fessis
Rebus es solacium.
Sive pontum classe Turca
Sternat et tumultuosis
Plena pulset stagna remis,
Sive caelo natus hostis
Vim minetur: semper aequi
Sentit in te, dulce nomen,
Christianus auxilium.
Ergo jure totus aether
Servit uni, teque coram
Cuncta quae rotantur astra
Poplites cum sole lunant:
Angeli vos sceptra primi,
Deinde nepti vos parentes
Tot patrum submittitis.
Hinc sacri, Regina, vates,
Hinc tuba, Regina, clamant;
Martyrum te palma vestit,
Virginum corona cingit:
Omnium Regina divum,
Omnium beata festo
Diceris praeconio.

www.culturaclasica.com

Vides in Litaniis Baldeanis desiderari invocationes post ea tempora additas. Idcirco abhinc annos decem fere et amplius ego deterioris sane notae strophas duas addidi, quibus aliquid ea lacuna expleretur:

Nec minus, Regina, terrae
Te salutant semper auctas
Ob tuae gemmas coronae:
Sola tu Conceptione
Labe pura quanta fulges,
Quam decoram contuemur
Te sacro Rosario!

Mater et Regina pacis
Filii throno propinqua,
Nationes tu coërces
Bellicosas, tu malignos
Qui parant vastare pacis
Suave regnum Christianae
Celsa sceptro dissipas.

Ad Infantem Jesum in Bethlemio specu Jacobi Balde S. J. ode

Laudavimus nuper poëtam in fasciculo superioris anni tertio (155). Cujus Musa hanc tibi praecinat orationem, qua tempore Christi natalicio adstans ante praesepis imaginem alloquaris Deum Infantem involutum pannis. Est ode 29 libri lyricorum tertii. *(A. A.)*

O nate in usum laetitiae Puer,
O Matre pulcra Parvule pulcrior,
Eburna cujus colla, vivae
Labra rosae violaeque crines.

Et bina gemmae lumina flammeae
Palam latentem virginea Deum
Sub nube produnt, o venustas
Clara Patris liquidique vultus

Innube verum, quis, Puer, impetus
Ab usque caelo quaeve potentia
In vile rupis traxit antrum
Ad pecudes stipulasque bruma

Heu flante nudum? Quid dubium taces
Udisque fletu nictibus absilis?
Celare sperasti paternum
Posse genus genitumque Numen,

De luce lucem? Scimus, ut Africum
Eurumque et Austros et Zephyros super
Auriga mundi tam per ignes
Quam medias equitaris undas.

Tu vasta ponti, scimus, et arida
Terrae replesti: frugibus uberes
Risere campi, squama flumen,
Penna leves agitavit auras.

Tu, cum sereno saecula fuderas
Ex ore, longis tractibus aethera
Metatus astrorum decentes
Diceris explicuisse turmas

Fulvisque Solem, sed niveis genas
Signasse Lunae purpureas notis.
Tu Mentis aeternae figura et
Candor inocciduique pulcri

Caligo lucens. Nosceris, o Puer,
Nec emicantem dissimulas Patrem,
Ah digne non isto cubili,
Digne Puer meliore lecto!

www.culturaclasica.com

IGNATIUS, HISPANIAE ET ECCLESIAE DECUS ET ORNAMENTUM

Quadringentesimo volvente anno, quo Beatus Ignatius de vita cessit, gaudet Ecclesia hoc eximio filio, laetatur Societas ab eo condita praeclarissimo Patre; tanto et nos jungimur festo praesertim cum Ecclesiam toto terrarum orbe praestantissimis fulgentem viris conspiciamus qui e Societate Jesu prodierunt et omnes disciplinas miris doctrinarum monumentis illustrarunt atque litteras in primis humaniores impensa opera coluerunt easque sapientissime honestarunt. - MODERATOR. [cfr. PALAESTRA LATINA, 27 (1957), p. 43].

Quemadmodum seitum artificium vix intelleges, nisi ipsum artificem cognoveris, ita illud Societatis Jesu artificium ex sola conditoris mente disces, cujus ab obitu annus quadringentesimus ab orbe catholico celebratur. Omne enim artificium ingenium artificis exprimere solet. Jam quis fuerit Cantaber ille Ignatius, ex solo Exercitiorum libello prorsus illiterato aliquantulum cognosces. Nam quae in eo continentur, ea tibi ad auctorem, «paucarum litterarum» virum, et ad conditam ab ipso Societatem intellegendam, viam sternunt.

Ipse Ignatius, inter honorarios aulae regiae ephebos adulescens, ad trigesimum usque annum nihil aliud in animo habebat nisi laudes militares nomenque illustre. Quo veluti luto manus Omnipotentis virum illum finxit, qui Ecclesiam reformavit et quo majorem Hispania, tot Sanctorum mater fecunda, non tulit. Huc accedit mens rerum vel maxime implicatarum perspicax, animus generosus, mores aulici, modestia militaris, voluntas sibi constans ac moderatio summa. Divino beneficio contigit, ut Ignatius, defendendae a Gallis arcis Pampelonensis dux, altero Pentecostes die anno MDXXI diffracto crure humi sterneretur. Sterni enim arcano Dei consilio debuit, ut novus erigeretur, vulnerari, ut sanaretur. Jam cum domi paternae diu decumbens ex fortuita Sanctorum vitae lectione cognovisset esse palaestram omnino aliam, qua non terrestres sed caelestes laudes sibi compararet et varios, quibus tum agitabatur spiritus discernere didicisset, somnia ac deliramenta vitae anteactae contempsit et totum sese Christo, Regi aeterno, devovit eique soli deinceps militare statuit. Quae tum temporis sibi proposuerat, ea ad absolutionem adduxit, mediocritatis omnis contemptor acerbissimus. Jam ubi convaluit, in speluncam non multo ab urbe Minorissa *(Manresa)* sejunctam secessit ibique inter austeras corporis castigationes et offusas animo tenebras eremiticam vitam duxit, tanta superni luminis copia

www.culturaclasica.com

perfusus, ut postea dicere soleret sese, etsi nullae exstarent Sacrae Litterae, libentissime pro fide mori ex iis solum, quae sibi Deus in illo specu patefe cisset. Sese enim in alium prorsus virum mutatum sibique novos datos fuisse oculos, quibus res omnes adspiceret. Ex viso potissimum SS. Trinitatis mysterio concepit summam in «Majestatem Divinam» reverentiam, flagrans erga «Creatorem ac Dominum» obsequium, indefessum augendae «Majoris Dei Gloriae» et animarum salutis studium, constans «inquirendae et inveniendae Divinae Voluntatis» diligentia. Atque in illo specu, cujus saxa cruore immiti flagello tam saepe rubefecerat, prima indicia et delineamenta condendae olim Societatis Jesu mente perspexit, cui veluti tesseram impressam voluit: «O. A. M. D. Gl.». Inde tantum ejus posthac gesta et opus conditum intelleguntur. Jam cum ad animas servandas sibi litterarum praesidio opus esse cognovisset, Barcinone inter pueros, triginta et duos annos natus, grammaticae rudimenta raptim didicit, Compluti et Salmanticae perpolivit, Lutetiae Parisiorum philosophiae ac theologiae mentem applicuit ibique variarum nationum socios primos sibi adjunxit. Romae tandem sedem fixit et approbata a Sede Apostolica Societate, Constitutiones omnium judicio sapientissimas exaravit. Tot et tantis rebus ad maximam Dei gloriam feliciter confectis et Societate per totum fere terrarum orbem diffusa Ignatius supremum instare diem ratus, morientium sacramentis munitus, sublatis in caelum oculis intermortua voce nomen Jesu appellans ad Creatoris sui complexum et beatae vitae requiem evolavit pridie Calendas Augustas anno MDLVI, aetatis quinto et sexagesimo.

Jam ad ejus opus praeclarum transeamus. Omnes, qui de eo scripserunt, conveniunt Ignatium, quamquam in specu Minorissae de condenda Societate Jesu non cogitavit, levia tamen indicia in stupendis illis visionibus percepisse. Inde recta ducit via ad eam prope vicum La Storta visionem, qua Deus Pater ipsum ejusque socios Filio veluti comites adjunxit. Hinc et ratio Societatis princeps facile patet et refutantur qui eam arte diplomatica et multa calliditate ad jura ecclesiastica propugnanda et haereticos retundendos inprimis fundatam volunt. Etenim Societas Jesu non tam ex Constitutionibus quam ex Exercitiorum libello sumpsit exordium. «Majestas divina, maxima Creatoris ac Domini gloria, laus, obsequium, amor, reverentia» sunt vera ratio princeps, nervus et scopus Sti. Ignatii ejusque Societatis. Accedit ad haec Christi non glorificati, sed «Regis universorum» honorem Patris propugnantis ac totum ei mundum subicientis imago, qua Ignatius, Hispanus et eques illustrissimus, maxime delectabatur. Quem Regem per consilia Evangelica sequi gestiebat, non monachorum modo, animae tantum suae servandae causa, sed «impense in salutem animarum incumbendo». Qua autem speciali via Christum sequeretur, adhuc latebat. Primum quidem de Turcis debellandis eisque ad veram fidem adducendis cogitabat. Sed paulo post miserrimus Ecclesiae languentis status, nefanda pestis Lutherana in diem

www.culturaclasica.com

latius serpens ac vox Summi Pontificis viam lucide demonstravit. Jam in Africam et Indiam praecones Evangelicos et lectam in Germaniam periclitantem cohortem misit, multis in locis juventuti non solum artibus bonis, sed etiam vera fide erudiendae collegia erexit, totos Religiosorum conventus Exercitiis reformavit omnique consilio et opera laboranti aegre Ecclesiae subvenit.

Genuinam autem Societatis Jesu indolem si penetrare velis, ipsum «Magis, O. A. M. D. Gl., insignem se exhibere in omni obsequio Regis aeterni ac Domini universorum, impense in animarum salutem incumbere, ite, incendite mundum», considerare oportet. Qua Ignatius tessera inductus a solita Religiosorum forma penitus recessit, nec vestem religiosam certam nec chorum quidem in templo praescripsit. Suos nulli addictos loco aut nationi voluit, sed expeditos et accinctos, ut, quocumque animarum salus et Summi Pontificis nutus vocarent, eo sese conferrent. Quae, superatis quibuscumque difficultatibus, ad finem perduxit. Tardus erat in deligendis tironibus, pronus ad dimittendos. Delectos variis periclitationibus probavit. Emissos autem tirocinio, editis rite votis liberos esse voluit aliis occupationibus et ne sacris quidem Ordinibus nisi post emensa studia initiari. Jam cùm ipsum vix fugeret studiorum contentione amorem illum perfectionis religiosae tenerum facile obtundi, decrevit, ut vota religiosa sexto quoque mense renovarentur et annum tirocinii tertium instituit; quo ii, qui studia absolvissent, toti perfectioni christianae vacarent. Solet Bonitas divina variis naturae et gratiae dotibus instruere. Ideo Ignatius duos in Ordinem gradus induxit: alterum «Professorum», alterum «Coadjutorum». Nominantur Professi, qui studiis laboriosis feliciter confectis virtutis mediocritatem superant. Hi tria vota sollemnia emittunt. Addunt quoque quartum pariter sollemne votum, quo promittunt sese jussu Summi Pontificis profecturos, sive inter fideles sive infideles, quocumque maximum animarum lucrum vocaverit. Coadjutorum verum duplex est genus. Alteros Professorum coadjutores voluit, alteros ministeriis domesticis occupari. Utrique vota simplicia nuncupant.

Jam caput totius Ordinis Praepositus Generalis appellatur, penes quem summa ac perpetua auctoritas et gubernatio. Ipse provinciarum praefectos, collegiorum rectores, domuum superiores nominat. Rursus ut iis, qui in republica bene gubernata actum supremum tenent, consiliarii sunt, ita sapientissimus Conditor Praeposito Generali Professos aliquot, expertae prudentiae homines, addidit, quorum consiliis uteretur, si dubia controversiaeque orirentur. Sic summa auctoritas bene mitigatur. Atque cum quivis, licet sanctus, periclitari soleat, Praeposito Generali Admonitor apponitur, cui jus sit Generalem, si quid in fixas leges Ordinis vel in bonum commune peccare videatur, admonendi. Praeterea omnem in honores Ecclesiasticos aditum obstruxit, eo quod Professos peculiari voto obstrinxit, ne ullam admitterent dignitatem Ecclesiasticam nisi a Summo Pontifice coacti pari-

www.culturaclasica.com

terque vetuit ipsos ullo modo agere vel ambire, ne indirecte quidem, ut in aliquam Ordinis dignitatem eligerentur. Denique Ordinem paterna caritate gubernari voluit, adeo ut filii sese praesidi tamquam patri darent et amore potius quam vi ducerentur.

Fuit Ignatius corpore gracili et humili, capite praecalvo, fronte lata, obtutu vivido, naribus aduncis. Claudicabat parum ex vulnere Pampelonensi. Licet ardenti corporis constitutione moderatissimus fuit ac sui tam compos, ut multi ipsum frigidum crederent. Spirabat in omni actione gravitatem quandam et dignitatem, qua omnes eum primo adspectu magnum et sanctum hominem judicarent. Praeclara ejus sapientia et summa cum Deo in omnibus rebus conjunctio. Tenerrimus in «Dominam» amor. Tanta fuit humilitate, ut dicere consuerit flagellari sese, cum laudaretur. Hinc lucis et omnis celebritatis acerrimus contemptor, omnia documenta, quibus stupendas mandarat visiones, ante obitum flammis tradidit, ne eximiam sanctitatem ulla ratione proderet. Etenim sui Ordinis auctorem unicum ipsum Christum haberi volebat. Profusus amore in Suos, triarios parum aspere, tirones verum suaviter tractans, omnes sibi penitus devinciebat, ut Franciscus Xaverius, vir fortissimus, ei scripserit ex India: «O dilectissime Pater, o unice in Christo pater, lacrimis oppletus litteras tuas legere soleo». Manet autem Ignatius «abyssus homo» (Augustinus), «cujus profundum vix aliquis penetrarit» (Gualterus Nigg, scriptor Protestanticus).

Obiit Ignatius pridie Calendas Augustas anno MDLVI et nata ex angustis incunabulis Societas Jesu et per totum fere terrarum orbem propagata jam mille et quingentos numerabat socios. Inter quos aliquot Nuntii Apostolici in Hiberniam, Poloniam, Aegyptum, Indiam, Japoniam Christi Regis vexilla protulerant. Jam frequentabant collegia multis in locis erecta alumni plurimi. Collegium Germano-Hungaricum ab Ignatio conditum strenuos Germaniae misere laboranti praecones submittebat. Florebant in Concilio Tridentino Laynez, Salmerón, Petrus Canisius, eximii theologi. Florebant fervidi oratores Lovanii, Salmanticae, Viennae, Pragae, Augustae Vindelicorum. Ediderat Petrus Canisius praeclarissimum catechismum, in plurimas vertendum linguas, unde populus Christianus veram fidem moresque bonos per saecula esset hausurus. Patefecerat portas juventuti studiosae Universitas in urbe Dillingen fundata. Tanta hujus aedificii moles ortum sumpserat ex equite Hispano, litterarum prorsus rudi, quem Bonitas divina laboranti Ecclesiae dederat reformatorem et quem Hispania, tot in infideles bellis enutrita ac roborata, maximum filium jure celebrat.

N. Mangeot, S. J.

www.culturaclasica.com

PER ORBEM

Anniversaria Commemoratio, bis millesimo vertente anno a Cicerone occiso. — Hoc anno anniversaria redeunt a Cicerone occiso sollemnia. Occisus est enim —ut ex rerum gestarum libris eruitur— VII idus dec. a. XLIII a. Chr. n., postquam optime de re publica meritus erat. Cujus commemorationem, ut verbis et scriptis pro maximis Oratoris meritis agant et celebrent, viri eruditi omnium gentium animos parant et calamos. Nam in Instituto Studiis Romanis provehendis, Consilium constitutum est studiis Ciceronianis fovendis. Ejusdem proposita sunt promovere, ordinare, fovere non modo quae ad anniversarios dies spectant, sed etiam eorum omnium incepta qui vel vitae Ciceronis ejusque operum cognitionem altiorem prosequuntur, vel praeclarum Oratorem illustrandum cognoscendumque omnibus proponere student. Hoc Institutum prospiciet etiam editionibus librorum Ciceronis cum criticis tum popularibus, opera et studio Italorum et exterorum civium divulgandis. Praeses et auctor Instituti est Julius Andreotti, cui alii praeclarissimi viri adsunt.

Etiam Societas illa Studiis Latinis provehendis *(Société des Études Latines)* Ciceronis memoriam commemorando renovare studet. At Ciceronis nomini Caesaris adjungendum curavit. Ut autem quae ad haec spectant commodius digniusque pararentur, Consilium etiam constitutum est, quod, cum aestate anni elapsi ineunte congregatum esset, proposuit ut utriusque commemoratio, in diem Dominicam et feriam secundam Pentecostes anno MDCCCCLVIII differretur, quibus diebus, duobus coetibus convocandis, de Cicerone et de Caesare, deque utriusque inter se commercio et usu quo dum viverent, conjuncti essent vel disjuncti, disputaretur. Singula vero, per partes in commentariis qui *Revue des Études Latines* inscribuntur, et in litteris passim missis, tempore explicata evulgabuntur.

Ovidiana Commemoratio. — Hoc etiam anno bis millesimus revertit anniversarius dies ab Ovidio poëta nato. Hector Paratore, doctor in Universitate Romana, statuit conventum Sulmone congregandum. Doctor vero Rumanus N. I. Herescu, Poëtae exilium Tomis evocans, volumen quo commentationes varias de Ovidio vel scriptae vel scribendae, contineantur, anno 1958 vulgandum, edere animum induxit.

Certamen Vaticanum. — Judicio de iis qui ad Certamen Vaticanum iterum descenderunt ex more facto, hi viri praemio donati sunt: Ex ordine doctorum linguae Latinae prius praemium tulit Marianus Ae. Luti, ex Ordi-

www.culturaclasica.com

ne Carm., Italus, commentatione cui est est index: *Nemo in historia rerum gestarum validior Caesare fuit.* Alterum praemium adjudicatum est PETRO BRUNO, conspicuo egregioque in commentariis qui *Latinitas* inscribuntur, epigrammatum scriptori. Ex ordine discipulorum, digni habiti sunt qui publica laude honestarentur Alfredus AQUARO et Cajetanus DOLCIMASCOLO, uterque natione Italus, itemque Lycei alumnus. Ex ordine poëtarum, priore praemio nemini delato, alterum tributum est Lilianae BUCCI, Italae. Publica laude ornatus Olyndus PASQUALETTI, ex I. M. C., Italus.

Inventa Archaeologica. — Inventa archaeologica magni momenti reperta sunt. Sub monte enim ABBATONE ad veterrimam urbem Etruscam cui est nomen Caere *(Cerveteri)* haud minus quam L sepulcra Etruscorum, brevissimo decem dierum spatio, effossa sunt. Quae omnia pertinere videntur ad sepulcretum quoddam amplissimum, nuper inventum atque ab archaeologis summo studio et celeritate in lucem editum. Quo modo tot effossiones tanta celeritate fieri potuerunt? Primum quidem, arte aërophotomechanica (detur venia verbo) adhibita, cujus ope solum variā eminentiā praeditum disparique arborum, stirpumque abundantia vestitum manifeste apparuit. Ex qua varietate effectum est non eadem sub aliis locis jacere. Haec omnia explorata sunt fluento electrico in subterranea loca immisso, quo loca certa ac determinata ubi res tempore obrutae jacerent, definita sunt. Quod vi electrica paene definitum erat, ope machinae rotundae et teretis, ad perforandum aptae, certo certius confirmatum est. Quare paucis horis plura perfecta sunt, quae machinis deficientibus fieri non potuissent nisi multis diebus impensoque labore. Praeter sepulcra alia multa inventa sunt, hominum ossa, amphorae, vasa unguentaria perpolita. In aliquot amphoris pulvis recondebatur, qui chemicorum examini accuratissimo subjectus erit, eo quod eruditi viri conjectura ducuntur ad suspicandum num de farina abhinc MMD annos molita agatur.

Euripideae Andromachae Fragmenta. — Mirum in modum praeter omnium spem inter tot scripta et sacra et profana Graeca et Hebraica, ad Mare Mortuum extremis temporibus inventa, reliquiae aliquot Euripidis *Andromachae* patuerunt.

Dicionário Etimológico da Língua Latina. — Superiore fasciculo, in ea parte quae *Bibliographia* inscribitur, lectores scripta legerunt quaedam de hoc opere, quod quidem dignum est quod amplissime dilaudetur. Auctor P. Augustus Magne in eo opere optima quaeque colligit ac seligit, neque pro certis dat dubia neque vera profert quae tantum conjecturalia sunt. Sed neque facilem eruditionem affectat neque per immensas linguarum indoeuropaearum quae dicuntur provincias vagus pererrat, sed ex eis, ea tantum quae proposito conducunt haerentque, sapienter excerpit. Auctor id demonstrare conatur linguam Lusitanam e lingua Latina originem traxisse,

www.culturaclasica.com

Latinamque quodam modo in Lusitana, meliorem fortasse factam, permanere, neque fieri posse ut qui linguam Latinam penitus non noverit, quidpiam linguae Lusitanae sciat. Molis operis magna, etsi praefatiuncula brevissima instructum, et simplicitate magna compositum. Nam verba, sub litteris A-ci tribus voluminibus continentur, summaque splendent perspicuitate. Hoc opus, quod P. A. Magne est aggressus, maximo honori et gloriae litteris Brasiliensibus erit. Utinam hoc dictionario confecto, Graecum quoque etymologicum —quod auctor parandum se suscepisse profitetur— tandem edatur. Tum non unum sed duplex monumentum aere perennius linguae Latinae Graecaeque et Lusitanae exactum erit.

Corpus Hispanicum Scriptorum Graecorum et Latinorum: ita convertere in Latinum liceat indicem Hispanicum *Colección Hispánica de Autores Griegos y Latinos*. Jam dudum hujuscemodi Corpus seu collectionem desiderabamus ut scriptores Graecos et Latinos Hispanico sermone loquentes audiremus legeremusque. Apud omnes enim excultas gentes jam multos abhinc annos Auctores illi, optimis bilinguibus editionibus collectis, manu versabantur. Nos vero, quorum majores litteras humaniores quam qui maxime coluerunt, simili corpore diutius carere, indignum iniquumque erat. Qua permotus ratione cl. v. Marianus Bassols de Climent, —in Universitate Barcinonensi doctor egregius, apud omnes Latinitatis cultores plane cognitus— animos Hispanorum linguarum classicarum studiosorum, incendit ut tale opus aggressi, rem apud nos fieri posse factis demonstrarent. Quod quidem opus felicissime ad eventum deducitur, pede firmo certoque, licet non ita ut par esset citato. Hactenus foras emissa sunt opera quaedam Licophronis, Augustini, Lysiae, Sallustii, Euripidis; sub prelo sunt Epicteti, Terentii, Ciceronis, poëtarumque Graecorum qui et elegos et iambos aetate antiquiore et aurea scripserunt; parantur Aristotelis, Catonis, Catulli, Demosthenis...; quid sequar, cum corpus scriptorum classicorum operum amplissimum paretur?...

His libris conficiendis clarissimi viri apud Hispanos et exteros nobilissimi Bassols, Tovar, Pabón, S. Ruipérez, Marín Peña, F. Galiano, R. Adrados, Dolç, Berenguer Amenós, Bover S. J., Errandonea S. J., Masciliano, Riber, Pariente, Bastardas... operam navant. Hujus corporis quaenam sint proprietates paucis absolvam: unumquodque volumen *introductione* aperitur, in qua scriptor classicus ejusque opera, in posteros momentum ac vis, historia textus, libri seu bibliographia, breviter recensentur. *Textus* accuratissime recognitus et ad fidem codicum veterum recentissimorumque studiorum et inquisitionum redactus proponitur. In *apparatu critico* qui dicitur, lectiones discrepantes componuntur, in eoque inveniri possunt compendiariis verbis expressa, quae vel alii eruditi viri dixerunt vel in libris plerisque impervIis collecta reperiuntur, vel etiam quae verborum discrepantiae in aliquibus

www.culturaclasica.com

codicibus Hispanicis, vel ab exteris viris litteratis incognitis vel immerito aestimatis, habentur.

In translatione ita verba primigenii textus verbis redduntur ut totam rem in Hispanicum sermonem transferatur, quin lingua Hispanica quod sibi proprium est, amittat. Hispanis et exteris civibus opus sane commendatione dignum.

Euphrosyne. — Fortuna dedit cl. v. Rebelo Gonçalves magna incoepta concipere, conceptaque apte et magnifice perficere. En novos, quos emisit, commentarios, alternis annis edendos, omnium laudibus sane excipiendos et rebus in ipsis actis et typographica excusione. «*Euphrosyne*, ita in limine legitur, philologarum rerum commentarii, privato consilio et impendio in lucem prodeuntes, moderante Francisco Rebelo Gonçalves, in Olisiponensi Universitate Professore, Lusitanae et Brasiliensis Academiarum sodali, Conimbricensi Olisiponensi Pictaviensi Doctore, ad Classicae Humanitatis studium et dignum meritumque cultum apud Lusitanos ac Brasilienses provehendum». Quibus verbis patet et propositum et viam quam in ipsis edendis A. est amplexatus. — Quoad linguam attinet, scriptores —quibus patrio uti sermone liceat— valde incitantur ut Latinam, quantum possint, adhibeant. Sin minus, institutitur «ut omnibus commentationibus itemque studiis brevioribus summaria addantur latine scripta». — In hoc fasciculo primo, 479 paginis absoluto, legas: I. Commentationes (J. Gomes Bravo, Pierrepont, J. B. Pighi, Vittorio d'Agostino, R. Gonçalves... — II. Studia breviora: (Paoli, F. Galiano, Walter de Soûsa Madeiros, cet...). — III. Res commemorandas. — IV. Libros recensitos. — V. Libros receptos. Opus appendice poëtica non modo expletur, sed et magnifice coronatur, decoratur, illustratur. Hic legas loculentos versus cum Latine tum Graece mirifice conscriptos. Nihil nisi plausum clarissimo v. Rebelo Gonçalves tribuendum est, auspicandumque ut commentarii quos optimis ominibus edendos curavit, in dies animos Lusitanorum et Brasiliensium accendant ad litteras humaniores studiosius prosequendas.

Commentarii dell'Ateneo di Brescia. — Athenaeum Brixianum, quod cultum et humanitatem per saeculum et amplius Brixiae fovi et aluit, hos commentarios quotannis edit, quibus ea omnia studia et commentationes colliguntur quae quoquo modo illustrem urbem civitatemque Brixianam spectant. Hoc in fasciculo mihi notanda commentatio videtur cui est index: «Silloge d'iscrizioni latine antiche in Brescia» a cl. v. Alberto Albertini, quem Palaestram Latinam legentes jam diu cognitum habent. Hic inscriptiones recensentur, explicantur, imaginibus ope lucis expressis illustrantur. Complemento esse poterit C. I. L. — Libentissime quoque legimus quae de PALAESTRA nostra LATINA rettulit. Est quod Dri. Albertini gratissimum exhibeamus animum.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

www.culturaclasica.com

BIBLIOGRAPHIA

C. W. Ceram. — *Le secret des Hittites.* Decouverte d'un ancien empire. Traduit de l'allemand par Henry Daussy, Librairie Plon, Paris, 1955.

Hujus libri auctor, scriptor diurnarius, anno 1939 miles conscriptus, cum in valetudinario Anglorum in Italia captivus esset, multa archaeologorum opera legit ac pervolutavit. Quorum lectione mirum quantum delectatus, mente concepit omnes certiores facere archaeologicarum inventionum, quas omnes fere, ab his rebus alienissimi, penitus ignorant, cum cognitu dignissimae sint ac jucundissimae. Nam inventionum id generis relationes ac nuntii veluti sepulta jacent tot numero operibus et libris, quos nemo, nisi eruditissimus et otiosus, legere possit. Quod propositum aggressus, Auctor, aliquot libros in quibus his de rebus ageret, foras emisit; hoc autem extremo, narrat quo modo inventa sit ac lecta lingua penitus ignota, et investigata historia Hittitarum populi, cujus vel levissima tantum indicia habebantur. C. Ceram ita res narrat, ita digesta lectoribus praebet, ut animus se motum sentiat ad uno tenore legendum hunc librum a primo capite, ubi exponit prima indicia sacelli cujusdam in Anatolia, a cl. viro Texier, ad illa capita ubi refertur quo modo Hrozny primam sententiam Hittitae linguae legere est assecutus, et Bossert primam inscriptionem «bilinguem». Mirum sane quo nisu, qua sollertia eruditi viri legere atque interpretari potuerunt quae legi atque explicari nullo modo posse videbantur.

Cl. A. omnia narrat oratione lauta, nitida, venusta, illa afferens quae lectorem delectent, instruant, doceant, illa omittens quae ad eruditissimos viros ac peritissimos spectent, illa seligens quae claram rerum notitiam gignere possint. Quam multa legerit A. feceritque ut hoc librum componeret, ex simplici obtutu ad librorum indicem in extremo libro relatum, patet.

Liber exemplar et forma hujuscemodi narrationibus faciendis mihi videtur. Si ita res quae ad Archaeologiam Graecam et Latinam pertinent, narrarentur, quo novo studio, qua hilaritate, quo fructu omnes cognoscerent, cognita diligerent, dilecta colerent!

Adolphe V. Thomas — *Dictionnaire des difficultés de la langue française.* Librairie Larousse. Paris VI, 1957.

Officina Libraria «Larousse» hoc novum Dictionarium vulgavit quod magnae omnibus utilitati erit. Quis enim omnes Gallicae linguae difficultates sive quae ad orthographiam spectant sive quae ad litterarum appellationem, ad grammaticam, ad verba barbara et synonyma et pleonastica enodare poterit? Quotiens animus haesitatione tactus, anxius neque verbum scribere audet neque sententiam, dum atramentum extremo calamo penitus exsiccatur! Quomodo scribam ex. gr. *liséré* an *liseré, un* azalée an *une* azalée, *pareil que* an *pareil à?* Quid proprie sibi vult «*cheveux calamistrés*, et *dilemme*, et *bacchanal* et *bacchanale?* Quando verbum *fonder* pro *fondre* utendum? Quae omnia verba, quaedam tantum difficultates sunt; at aliae exstant quam plurimae, quae et pueris et scholasticis et scribis et scriptoribus iisque omnibus qui recte eleganterque scribere et loqui gestiunt, impedimento saepe sunt inextricabili. His omnibus commodo maximo hoc erit vocabularium quo omnia obstacula continentur sciteque solvuntur. Opus perficiendum suscepit A. V. Thomas, qui illis viris praeest qui Dictionaria Larousse corrigenda curant, moderante cl. v. Michaël de Toro, litterarum Doctore. Liber sane utilis, omnibus pervolutandus, qui perfectius linguam Gallicam cognoscere ejusque abditas jucunditates percipere velint.

Jacobus Sidera, C. M. F.

www.culturaclasica.com

VOX. — *Diccionario abreviado de la Lengua Española*, con ilustraciones. Revisión y prólogo por Samuel Gili Gaya. Publicaciones y Ediciones SPES. Barcelona, 1956.

Tres habet hoc dictionariolum virtutes easque eximias: quod exaratum est ad normam earum rationum quas viri hodierni, puerorum instituendorum studiosi, invenerunt ac detexerunt. Adeo ut opus quam maxime illi cogitandi et res perpendendi puerorum proprio modo omnino accomodetur. Deinde, cum Auctor ob oculos habuerit pueros qui nondum quartum decimum annum excesserunt, tabulis versicoloribus variisque illustravit, quibus, dum mirum in modum animi oculique delectentur, res ibi depictae memoriae mandentur atque imprimantur. Denique verba ita selecta ac rite definita praebentur, ut nullum ibi inveniatur vocabulum quod pudorem impuberum offendere, nullum quod laedere possit. Tota igitur verborum electio facta est ad normam illius Poëtae: «magna debetur puero reverentia».

Quare haud haesitamus hoc dictionarium maxime et pro viribus commendare. Id genus opus, perquam necessarium pueris, curas magistrorum ac parentum curas, qui impense laborant ut pueri discant, quin detrimentum morum capiant, temperat et in hac parte penitus tollit.

Die Hauptwerke des Lukian, griechisch und deutsch. Herausgegeben und übersetzt von Karl Mras. Ernst Heimeran Verlag, München, 1954.

Jam in ipsa libri hujus inscriptione quidquid libro colligitur apparet. Hunc qui legerit inveniet Somnium, deorum dialogos et dialogos marinos, et dialogos mortuorum, Ikaromenippum, ἀληθῆ διηγήματα, et Peregrinum, textu graeco versione germanica aucto. Non omnes quos scripsit Lucianus libri ibi reperiuntur; reperiuntur tamen summi ac praecipui omnes, quibus lector qui scriptor fuerit ille praeclarus, qui ut fuit aetatis cadentis, ad destruendum potius quam ad exstruendum valuit, cognoscet. In extremo opere quidquid de Luciano ejusque scriptis dici potest, brevioribus verbis contrahitur. Praecipua librorum capita concinnis commentariis illustrantur, eorumque in posteros scriptores momentum et vis perpenditur.

H. Wagner - W. Kraiker. — *Griechenland*. Vittorio Klostermann, Frankfurt am Main, 1955.

Graeciam, cum sit, sicut et Roma, omnium eruditorum hominum patria, omnes invisere atque lustrare cupiunt; ibi enim cultus viguit —humanitasque floruit— qui nobis, occidentis solis hominibus, veluti hereditas sacratissima sorte obvenit. Volupe sine dubio longe lateque tota Graecia peregrinari ibique scriptores illos veteres legere ac pervolutare ubi opera aere perenniora scripserunt sua. At non omnibus tanta voluptate frui licet neque conceditur. Quare maximi pendendus est liber quo Graecia oculis et animo amplexari licet, ope illarum 108 mirificarum photographiarum quibus optima et pulcherrima loca, et quae exstant monumenta et signa et urbium conspectus mirantibus legentium oculis subjiciuntur.

His liber commendatione nulla indiget cum ipse se commendet et brevi introductione et pulcherrimis imaginibus luce expressis et charta etiam optima. Qui hunc librum sibi comparaverit minime se fraudatum sentiet. Et auctoribus gratulamur et Editori, qui tale opus in omnium commodum susceperunt in lucem edendum.

Jacobus Sidera, C. M. F.

Georges Lurquin. — *Enchiridion*, manuel de Grec. Editions Sikkel, 1956.

Linguam Graecam non minus quam Latinam viis novis jucundioribusque tradamus oportet si eam in scholis perviventem volumus, nunc, praesertim cum homines res «technicas» et ad vitae usum necessarias liberalibus anteferant. Quare dilaudandus est scriptor, qui hoc Enchiridion edidit, quod jam inde a principio linguam Graecam et jucundam praebet et cum linguis et cultu atque humanitate nostrae hujus aetatis arte conjunctam exhibet.

Clarus Editor Sikkel in hac etiam littera-

www.culturaclasica.com

rum provincia certo pede novam ingressus est viam, quae sane optima via est. Nam in prima hujus libri lectione litterarum ordinem frustra quaeras. Cujus loco 40 verba proponuntur, quibus omnes litterae Graecae continentur: quae quidem voces Graecae sane sunt sed et Gallicae: Ἑλλάς, Σπάρτη, μοῦσα, ὠχέανος... Frustra etiam tabulas declinationum et conjugationum roges. Sunt sane, at in extremo libro —ubi nimium fortasse stipatae colliguntur— ibique etiam regulae grammaticae et syntaxeos summatim describuntur. —Prima lectio hac aperitur sententia: κοινὰ τὰ τῶν φίλων, ex qua quaedam de articuli formis atque syntaxi facile eruuntur. Unumquodque vocabulum et in hac et in sequentibus lectionibus accuratissime explicatur, ejus origo enodatur, cumque verbis Gallis Latinisque confertur, quo qui ea discat, facilius memoriae mandet mandataque tenacius retineat. —Itaque pedetentim gradatimque 27 lectiones evolvuntur, perfectiores in lectiones singulas atque lepidiores, quae alumnum veluti manu ducunt ut sensim sine sensu scriptores Graecos, Xenophontem dico, Platonem, Herodotum, alios, facile et jucunde legat. His adde tabulas illas photographicas, quae lectiones illustrant eisque venustam varietatem tribuunt, adde etiam ea quae de moribus institutisque Graecorum in verborum sensu et vi explicandis dicuntur: librum invenies aptissimum qui puerorum studia moveat eosque mirifico illo cultu atque humanitate imbuat. Quaedam tamen fortasse difficiliora videbuntur et forma nimis «mathematica» exposita. —Quo singulari ac virili conatu scriptor, si perfectionem non attigerit, tamen aliquando, id quod intendit, plane assequetur. —Librum ergo et viam novam et utilem legentibus praebemus qui, uti credimus, et apud Belgas et apud Gallos opimos humanitatis fructus est allaturus.

JACOBUS SIDERA, C M. F.

R. HUGO BENSON. — *El amo del mundo.* Novela traducida directamente del inglés por JUAN MATEOS, Pbro. Editorial Gustavo Gili, Barcelona, 1956, 6.ª edición.

«Aut prodesse volunt aut delectare poëtae / Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae» (*Ars. Poët.* 333-334)... Haec fabula commenticia et prodesse vult et idonea dicere vitae. Quare «omne tulit punctum», quod miscuit utile dulci... Ut Auctor palam profitetur, alio modo exprimere non potuit mentis cogitata, quae verissima esse censet. Itaque haud mirum quod quandoque longiores descriptiones inseri et animorum studia altiora videantur. Hoc enim maximi penditur ad propria mentis cogitata in animis legentium intimius infigenda, quos non modo delectat, sed validissime agitat et commovet. – Fabulae argumentum latere videtur sub illis verbis Epistulae B. Pauli Apostoli ad Thes. alterius, 2, 3: «Ne quis vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis...» — Proinde tempus futurum prospectat, cujus quidem progressus describuntur, ipseque Antichristus in medium profertur, sed prae primis animi motus ac sensus eorum qui illis temporibus vitam agent. — Viri experti, qui secum cogitant, multa, quae mente agitent, in hac fabula invenient.

Haec nova editio eodem studio eademque legentium aviditate a nostris civibus excipietur, et graviore animi commotione legetur —arbitramur— cum saepe res eventu comprobari videantur, quam cum primum in lucem prodiit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

I. PLAUT. — *Méthode «Naturelle» de Latin. Méthode «Naturelle» de Grec. Les sons du Grec Ancien, et leurs modifications...* Sainte Pience - Manche, 1952.

Quae sint «*methodi naturales*» linguis Latinae et Graecae tradendis, ex iis, quae in illa parte PALAESTRAE quae inscribitur «Collectanea», fasciculo superiore pag. 45 sq. scripta sunt, omnibus perspectum putamus. Nunc quaedam de iis rationibus ac viis ad disciplinam puerilem propositis et accomodatis. *Cursu Latinus* 87, Graecus 64 brevioribus lectionibus absolvitur. Unaquaeque lectio descriptionibus linearibus *(dibujos)* quibusdam iisque simplicissimis et puerorum modo instructis aperitur. Deinde regulae quaedam exponuntur quibus significatur quomodo et magister et pueri

www.culturaclasica.com

—In factiones divisi— in lectione *agenda* se expediant. Ad quam descriptionem oratione gradatim scripta, dialogus inter magistrum et pueros instituitur, quo dialogo, initio simplicissimo, perque gradus implicato, res grammatica exponitur. Ita ut pueri prius Latine vel Graece loquantur quam regulas discant, et verba una cum institutionibus Romanorum Graecorumque addiscant. Quae omnia aptissima sunt quae puerorum animos alliciant admoveantque.

Spectata femina etiam opusculum cui est index *Les sons du Grec ancien et leurs modifications avec indication de la prononciation attique au Ve siècle av. J. C. Initiation a la phonétique pour les étudiants de licence et les élèves du secondaire*, quo in opusculo, 16 pagellis absoluto, breviter sciteque absolvuntur in his rebus quaestiones praecipuae disputatae. Non omnes fortasse iis, quae de litteris *j* et *v* in verbis Latinis adhibendis dicuntur, subscribent: «*Il est* stupide *d'introduire les lettres* j *et* v *dans les textes latins*»: quamquam enim recentes hae litterae, a Petro La Ramée, viro Gallico (1515-1572) inductae, tamen pueris saltem instituendis et saepe viris quoque doctis non prorsus inutiles, immo utilissimae videntur.

Pueris etiam lingua Latina imbuendis picturas quasdam lineares, quibus vel facta vel Institutiones vel deos vel homines describuntur, paravit, quas «films fixes» appellavit; quibus subscriptam videas vel sententiam vel verba Latina quae grammaticam regulam praebent. Pulcrae sane, etsi simplices, picturae; quarum quaedam si aliter pictae essent, meliores fortasse fierent, eo quod «maxima debetur puero reverentia»...

Ut patet optima ratio et disciplina linguis classicis discendis ut est puerorum captus, his opusculis continentur. Haec tamen opuscula, non sunt typis excusa sed ratione illa quae photomechanica voce graecanica dicitur.

Jacobus Sidera, C. M. F.

Vicenzo Ussani jr. — *Insomnia.* Saggio di critica semantica. Angelo Signorelli Editore. Roma, 1955, pg. 205.

Quidquid hoc libello continetur his capitibus contrahitur: 1) *Insomnia* = *insonnia*, generis feminini, verbum est aetatis antiquioris, a Plauto et Caecilio Statio, Pacuvio et Ennio, usitatum; denuo vocem hoc genere usurparunt scriptores pervetusta verba affectantes, Gellius et Ammianus Marcellinus. 2) Verbum neutrum *insomnium* = *insonnia* longe usitatissimum invenitur, a Ciceronis et Propertii aetate ad Bedam usque; at usurpatum a Terentio (*Eun.* II, 1, 13 (219) videtur. 3) Verbum neutrum *insomnium* = *sogno, visione nel sogno o nel sono* minus in usum inductum est, at jam apud Sallustium (*Epist.* II, 16, 6) et apud Vergilium, et serius apud Arnobium et Claudianum prostat (pag. 153).

Nihil his quae attuli simpliciora. At quo longo itinere et qua pulchra atque erudita via ac ratione huc usque perventum est! A duobus locis Sallustii et ab uno Vergilii ubi verbum «insomnia» ancipitis sensus et generis scriptum invenitur profectus, Auctor mirabili modo, angustia rei minime coartatus, amplissimos vitae Romanorum et religionis et litterarum et philosophiae prospectus propositos praebet. Hoc libro apparet quo modo acutissima ac sagacissima rerum existimatio ac verborum grammaticum examen accuratissimum optime conjungatur ingenio aequissimo et omnibus rebus philosophicis et litterariis amplissime patenti. Apparet quomodo ex altiore verborum cognitione ad altissimam rerum cognitionem perveniri possit.

Jacobus Sidera, C. M. F.

J. Verdick - C. Groeninckx. — *Via Nova.* Manuel de Latin pour la sixième. Textes, grammaire, exercices, vocabulaire. Adaptation française par J. Michel. Editions de Sikkel, S. A. Anvers, 1956.

Si linguam Latinam vigentem et florentem volumus pernecessarium est ut vias novas in ea tradenda adhibeamus. Nunc non jam quaeritur quantum lingua Latina in hominum animis instituendis valeat, sed utrum ab hominibus aptum instrumentum habeatur an penitus rejiciatur; nunc pro sua ipsius salute dimicat. Quod cum sciant hujus libri Auctores, strenue novam ingressi sunt viam qua in alumnum maximam linguae Latinae cognitionem cum minimo grammatices impedimento infundant, eique planam sternant viam ad

www.culturaclasica.com

scriptores Latinos legendos. Quare ita rem proponunt ut molestas illas et taetras declinationum et verborum conjugatorum tabulas atque longiores discendorum vocabulorum indices expungant. Verumtamen alumnus pedetentim et morphologiâ quam dicunt et verbis inter communiora selectis, immo et syntaxeos elementis sensim imbuitur. Quid et quo ordine hoc libro contineatur dicamus, ut legentes perfectius et auctorum propositum et libri utilitatem perspiciant.

Opus triginta lectionibus digeritur, quae sex capitibus distribuuntur. Singulae lectiones haec habent: aptam atque conexam orationem qua quandoque pueri colloquentes instituuntur. Quae in hac oratione regulae grammaticae adhibentur, breviter exponuntur et enodantur. Quas regulas statim grammaticis exercitationibus et recognitionibus alumni suas faciunt. Verba quae in exercitationibus adhibentur, in indice apponuntur, iis quae potissima et praecipua aestimantur, stellula signatis. — Sexto quoque capite lectio additur quae recognitioni praecedentium sit, in qua quaestiones de re grammatica et de verbis, novaeque exercitationes faciendae proponuntur. Hoc etiam dignum est quod notetur, lectiones quasdam Gallice scriptas de institutionibus Romanis tradi: de puerorum institutione, de Urbe Septicolle, de domo Romana, de ludis et circensibus, de effossionibus peractis atque de inscriptionibus Pompejis inventis. Quae omnia 12 tabulis ope lucis expressis mirifice illustrantur. Vocum aptissima accuratissimaque selectio facta est ad modum eorum vocabulorum indices qui «*básicos, basiques*», hodiernis linguis vocantur, quos forsan praecipuorum vocum lexica, Latine diceres.

Liber ergo optimus omnibusque (si pauci naevi tollantur) numeris absolutus, viam certe novam monstrans quam ita credimus— laeto animo ingredientur, ingressique prosequentur pueri Latinitatis studiosi.

Jacobus Sidera, C. M. F.

Academia Colombiana. — *Anuario de la Academia Colombiana*. Tomo XI, 1944 - 1949. Bogotá, 1956.

Volumen XI Annui Commentarii Academiae Columbianae accepimus, quod ponderosum volumen —annos 1944 - 1949 complectens— orationes, quibus recentiores Academici Eduardus Caballero Calderón, Antonius Alvarez Lleras, Germanus Arciniegas in Academiam sunt cooptati, continet.

Praecipua tamen voluminis parte opera clarorum virorum Michaëlis Antonii Caro, Rufini Josephi Cuervo, Aemiliani Isaza, centesimo exeunte anno ab eorum natali die, grata memoria commemorantur.

Non nullae quoque orationes et alia Academiae litterarum monumenta hoc exornant volumen summa doctrina plenum.

Jacobus García, C. M. F.

Charles Rosset. — *Exercices Latines*, Classe de Cinquième. Les Editions de l'Ecole. Paris, 1956, pag. 245.

Clarissimus et in Grammatica Latina tradenda summa industria ornatus Prof. Carolus Rosset opus exaravit praestantissimum quod maximum alumnis afferet commodum in lingua Latina apprime discenda; multae in eo libro nitent primae notae virtutes in primis paedagogicae, quae dicuntur; nam omnes libri partes ita cohaerent, ita sunt dispositae, ita proponuntur ut pueri facillime manu ducantur et sensim in grammatica exerceantur, totaque Latinitate instituantur.

Ut legentes novam linguae Latinae tradendae rationem assequi possint, libri indicem proponimus:

Praemittitur *Introductio* (p. V - XII) in qua de nova via in alumnis instituendis agitur... «méthodes neuves fondées sur les dernières découvertes de la pédagogie...». «Ces exercices latines constituent un matériel nouveau créé sous le double controle de la pratique de la classe et d'une étude de psychologie experimentale».

Pars prima seu elementaria (p. 1 - 20) consequitur, qua verborum et nominum index continetur.

Altera pars (p. 21 - 203) 194 exercitiis constat, peritissime distributis et alumnorum captui perquam accomodatis, una cum praeceptis grammaticis breviter expositis.

Sequitur tandem *tertia operis pars* (p. 204 - 234) quae omnia praecepta grammatica supe-

www.culturaclasica.com

rius allata tabulis compendiariis complectitur.

Alias quoque pulcherrimas tabulas pictas ad Romanorum historiam intellegendam et mente assequendam, quibus pueri erudiantur, continet.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

G. SARRO - A. DAVICO GRIFONI - G. BARONE. — *Sermo Latinus*, Grammatica Latina, Teoria, 6 ed. Ed. Angelo Signorelli, Roma, 1955, pag. 201.

Propositum, quod clari hujus libri conscriptores sibi constituerunt, fuit in exponenda lingua Latina ita alumnos sapienter confirmare ut, eadem optime exercitati, totum Latinitatis perlongum iter commode nulloque negotio peragerent.

Liber pulchre est typis excusus et in exponenda doctrina methodo et claritate perfectus. Vel ipsi libri conscriptores hanc in animo foverunt «pem, opus nempe esse perfectum, idque his significarunt verbis: «Autori et Editore si augurano de aver presentato con questa stesura un libro rispondente a tutte le necessità dell'insegnamento: un testo fra i migliori, assimilabile e geniale, perfetto per quanto è possibile...».

Humanissimis lectoribus, ut, quid libro contineatur, intellegant, summum materiae indicem praebemus: De phonologia (pag. 7 - 12): de etymologia (pag. 191 - 199); de metrica (pag. 199 - 201). Liber indice verborum completur.

CHRISTINE MOHRMANN. — *Latin des Chrétiens, Latin Médiéval.* C. Klincksieck, Paris, 1955, pag. 54.

Relationes, orationes *(Latin Vulgaire, Latin des Chrétiens)*, quas cl. magistra Mohrmann in conventibus anno 1950 - 1951 habuit, et dissertatio *(Latin Médiéval*, a. 1952) quam in commentariis qui *Révue des Études Latines* inscribuntur XXIX, (1952), pag. 330 - 348 edidit, hoc brevi fasciculo colliguntur.

1) *Latin Vulgaire:* seu de linguae Latinae Vulgaris historia et tempore, de variis opinionibus seu judiciis deque argumentis ad sententias probandas quaestio agitatur.

2) *Latin des Chrétiens:* ubi perlucido sermone de quaestionis statu ac de via et ratione ad ejus investigationem apta disseritur.

3) *Latin Médiéval:* duae in hac commentatione graves quaestiones moventur, quarum artus nodus apte ab scriptoribus nunquam est expeditus:

a) — qua ratione Medii Aevi Latinitas ut «phenomenon linguisticae» habenda et censenda sit;

b) — quibusque legibus seu normis de eadem Latinitate sit judicandum.

Quae omnia —quamquam multis implicantur difficultatibus— a cl. magistra luculenter enodantur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

A. MICHAEL LANDGRAF. — *Introducción a la Historia de la literatura teológica de la escolástica incipiente.* Herder, Barcelona, 1956, pp. 253.

Michaëlis Landgraf propositum hoc in opere conscribendo fuit plurima, quae his recentioribus annis de antiqua Theologia Scholastica investigata sunt, in unum colligere ut sub una ratione nobis offerret illa diversa quasi momenta quibus Theologia Medii Aevi in occidentis solis regionibus usque ad maximum perfectionis gradum, quem ei tribuit Sanctus Thomas Aquinas, evoluta et explicata sit.

Itaque cl. scriptor egregios viros extollit qui magis hanc Theologorum scientiam excitarunt, et rerum opportunitates quae scholis theologicis faverunt.

Multa lucubrationum genera perpenduntur: libri de re singulares seu monographiae, sententiarum collectiones, commentaria in Sacram Scripturam, Quaestiones, Distinctiones, cet.; theologi etiam in scholas distribuuntur

Qui vero hoc primum quasi momentum seu stationem Scholasticae, satis adhuc ignotum, penitus perspicere velit, in hoc cl. v. Michaëlis Landgraf libro optimum ducem inveniet, nam quaestiones sapientissime et eruditissime scriptae atque recentissimis libris conformatae, in altissimam partem lucubrationum theologicarum et historicarum illum quasi manu ducent.

Index nominum et codicum opus complet.

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

www.culturaclasica.com

ROBERTO RESTREPO. — *Apuntaciones idiomáticas y Correcciones de lenguaje.* Publicaciones de la Academia Colombiana, Correspondiente de la Real Academia Española. Imprenta Nacional, Bogotá, 1956.

Iterum in vulgus editur hoc volumen, admodum 1037 paginas continens, quod quidem et aliud mox consequetur Clarus auctor, ut peritissimus linguae Hispanicae Academicus, puritati maxime linguae consulit hoc improbo labore.

Multa recentioris aetatis vocabula ibi explicantur, quae in thesaurum linguae videntur inducenda. Continet quoque hic liber gallicismos, anglicismos, soloecismos et barbarismos magis in scriptorum usu, pro quibus vocabulum purum aptumque sufficitur ab inclito scriptore Columbiano.

Annotationes haud paucas in eo invenies de vocabulis, quae recipi debent in lexico Hispanico, atque observationes criticas in «Dictionarium Academiae linguae Hispanicae». Notulae etiam exstant de 1000 verbis irregularibus vel dubiae conjugationis.

Volumine altero opus complebitur, ad supplementi modum, in quo nomina propria prodibunt sub indice: Biographia, Mythologia, Geographia, Religiones.

Cum vocibus geographicis etiam gentilicia edentur 10.000 circiter vocabula. Vocabularium in primis Columbianum prae oculis lectorum exhibetur. Opus sane commendandum iis, qui de lingua Hispanica penitus notitiam hauriendam satagunt. Forma operis externa et ars typographica perlucida. Hinc maximo opere commendare hoc opus non ambigimus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Certamen Capitolinum VII, MDCCCCLVI. — Curante INSTITUTO ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS.

Hoc opusculo duae continentur lucubrationes, quae priores habuere partes in Certamine Capitolino VII, superiore anno Romae habito. Altera conscripta est a claro viro Eugenio Mulas, hoc quidem indice: *M. Antonii in Ciceronem* (actio ficta); altera vero ab Aldo Bartalucci, hoc indice: *Sena Julia.*

En tibi Certaminis judicum de re sententia: «Quinquevirorum collegium, scidulis resignatis quas petitores iisdem sententiis ac libellos inscripserant, primum victorem Eugenium Mulas declaravit, qui libello certaverat c. i. M. Antonii in Ciceronem (actio ficta), secundum vero Aldum Bartalucci, cujus libellus Sena Julia est inscriptus».

Petitores omnino XXXVII numero certamen adierant: XXXII ex Italia, unus ex Germania, unus ex Britannia, unus ex Batavia, duo, denique, ex Americae Septemtrionalis Foederatis Civitatibus.

Libellus hic 34 paginis constat, quarum elucubrationi primae 11 - 20; alteri autem 23-34. Orationem Latinam puram ac nitidam lectoribus praebent, qui de lingua Latii altius sapere quaeritant. Et hac nostra aetate classicorum lingua revixisse fatendum est. — Quod victoribus bene vertat.

CATERINA VASSALINI. — *Appendix Vergiliana: Ciris - Catalepton.* Edizioni Fussi. Casa editrice Sansoni, Firenze, 1956.

Perbreve hoc opusculum, momenti tamen haud parvi ad penitum operis poëtici Vergiliani studium atque comprehensionem. Hic vero libelli tenor: Introductio (pp. 7 - 14); Ciris (pp. 15 - 55); Catalepton (pp. 57 - 93); Notulae (pp. 95 - 104).

Ea quae cursu temporum de «Appendice Vergiliana» auctores disseruere, summatim in libri introductione relata, curiose lector, habes. Haud procerum hic Vergilianum ingenium poëticum deteges; at minutissima magnorum ingeniorum admirationem movere, si quid mei est judicii, valent. Cum *Ciris* tum *Catalepton* et Latina, et Italica lingua, lectoribus delibanda a praeclara magistra C. Vassalini proponuntur, quod quidem sine dubio erit plaudendum. Liber tota arte typographica ornatum apparet, sicut et alia illius sciti Corporis «Il Melagrano», quibus ex corde imo summum in litteraria provincia exitum ominamur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

www.culturaclasica.com

PALAESTRA adulescentium

SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum — Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. III – (FASC. II) – N. 10 — M. JUNIO — A. MCMLVII

SCRIBITE, PUERI!

Saepius admoniti estis, adulescentes, ut plurimum scribendo animum excolatis et linguam Latinam exerceatis; quod ut studiosius perficiatis praemia vobis proponimus, ut quemadmodum in *Certamen Latinum* nuper maximo ardore progressi estis, ita in hac litterarum *palaestra* eadem virtute contendere nunquam desinatis.

Scriptiunculas, narrationes, fabulas, ridicularia, aenigmata, joca, ludos cavillationesque omnis generis —quae parentes, magistri, socii vobis in orbem conglobatis oribusque hiantibus lepidissime narraverunt, aut quae in actis diurnis, commentariis, libellis vix cachinnos cohibentes summaque hilaritate permoti legistis— curiosa aviditate colligite et in Latinum convertite; eaque, *si Moderatoribus probatae erunt*, in PALAESTRA ADULESCENTIUM edentur —maxima quidem vobis gloria praecipuumque praemium— sed aliud quoque adjicietur quod aut libellus erit ex corpore TEXTOS PALAESTRA aut alius liber ad vos dono deferendus.

Scribite etiam ad Moderatorem, quaerite de novis verbis latine reddendis, scribite inter vos; cum alumnis aliarum nationum epistularum consuetudinem instituite, quam qui inierunt consuetudinem, amicitiae officio et studiorum amore constricti, jam diu prosequuntur; quarum epistularum exempla et alias et in hoc fasciculo specimina libenter evulgamus.

Ceterum PALAESTRAM ADULESCENTIUM ad id natam conditamque esse scitis ut lingua Latina levioribus argumentis, picturis jocisque pueris et adulescentibus jucundior et facilior reddatur; quae, paucas complectens paginas, pro vobis alumnis separatim editur; hanc emite ut multi Institutorum, Lyceorum, Seminariorum discipuli fecerunt: sic et legendo et saepe ridendo multum in lingua Latina certo proficietis.

www.culturaclasica.com

VULPES ET CORVUS

Hiems horrida fuit qùalis a longo temporis spatio tota illa regione ignorabatur. Diuturna nix terram opprimebat, quare ferae cibo destitutae fame peribant, adeo ut non raro, passerculi praesertim, in nive frigore rigentes jacerent.

Ineunte autem vere, sol novis radiis orbem amplexus est et paucis diebus nives liquefactae sunt. Tunc omnis generis ferae ex speluncis fame pulsae totam sollicite peragrabant terram cibum quaerentes.

Exiit etiam jejuna vulpes quae, postquam membrorum teporem solvit, ad domos hominum accessit ut gallinarum stabula circumiret. Intus quidem gallinae molliter gracillabant, vulpes vero foris frustra gracillantes inhiabat, neque tamen portas et fenestras circumspiciens, foramen inveniebat quo ingredi posset. Desperata denique clausas videns gallinas, non dubito quin et ipsa de illis dixerit quod et socia de uvis «immaturatae adhuc sunt».

Dehinc in speluncam redire constituit, ubi cibo deficiente sese alto dedit somno. Inter dormiendum sapidum somnium ei arrisit. Somniabat enim se in medio gallinarum stabulo clausis januis esse et quidem gallinis pinguibus circumdatam; postquam vero ventrem avide satiasset, se in saccum, quem secum portabat, gallinas quot vellet immittere et ad speluncam ferre.

Subito autem vulpes experrecta, futilis somnii fallaciam agnovit iterumqùe ventris vacuitatem sensit; et viribus somno aliquantulum redintegratis, statuit ad gallinas denuo ire.

Sese ergo pedibus commisit, et ad gallinarium perveniens, juxta arborem silviculae, quae ex adverso erat, sperans sedit.

Post pauca minuta odorem casei naribus sensit, quo mota silviculam percurrit causam inquirens. Tota silvicula caseum olebat, sed cum causam non invenisset, iterum sedit. Levatis tunc forte oculis, ad vicinam arborem, vidit corvum in summo tenentem rostro caseum magnum.

Velim quoque scias corvum primis solis luminibus exiisse cibum quaerendi gratia. Ille autem cum per fenestram vidisset caseum in culina cujusdam domus, exspectavit horam qua domina fenestellam vitream aperiret.

Post longum vero tempus, cum jam in corvi animo spes casei fere evanuerat, fenestra aperta est non vero a domina, sed ab ancilla cui domus et cibi cura commissa erat. Hoc tamen nihil corvo profuit, quia ancilla in culina manebat, flammas suscitabat, vasa abstergebat, prandiumque sedulo coquebat. Interdum egrediebatur sed statim in culinam redibat ita ut corvus furti propositum temere magnoque discrimine tentasset.

Sed ecce repente ancilla exiit ut responsum daret dominae alta voce quaerenti. Corvus, qui et ipse ancillam vocatam audierat, fenestrae accedit, caseum rostro arripit et in altam arborem volat, praemiis spei donatus.

Sub illa igitur arbore, vulpes sedebat, gallinam spectans.

www.culturaclasica.com

Vulpes, viso corvo, linguam et animum intra se volvens, quaerebat modum caseum obtinendi. Qua motus cupiditate, colloqui coepit:

—Salve corve; quid tam silens, pulcherrime?

Corvus rostrum suum caseo gravatum aliquantum movit, quasi vellet dicere:

—Et ego tibi salutem animo dico, minime autem verbis, annon sentis me loqui nequire?

Et vulpes ad eum:

—Pulchritudinem tuam nitoremque pennarum tuarum noveram, nunc autem, sagacitatem etiam et sollertiam novi, eo quod aliquid cibi consecutus es, cum ego de cibo totum mane sollicita, jejuna sedeo. Tu sine dubio es avium pulcherrima et sollertissima. Tuam vocem tantum ignoro, quod si cantus tuus tuo ingenio et pulchritudini consonet, certe tu es avium regina.

At stupidus intendens vocem ostendere, caseum ore demittit, in quem vulpes celerrime irruit vorandum.

Dum corvus in summa arbore suam levitatem querebatur, vulpes, postquam ventrem infersit, maxime cachinnabatur.

EMMANUEL CARBAJO

Collegii Claretiani, in Urbe «*Castro Urdiales*», alumnus, primo praemio in Certamine donatus.

SOLUTIONES

(Cfr. PALAESTRA LATINA, a. 1957, fasc. I, p. 59-60)

SCALAE SUBLIMES

1	tunc
6 - 13	pugna
7 - 10	nate
5 - 8	opris
12 - 14	pugri
2 - 3 - 4	maxime
9 - 15	sine
11 - 16	opcis

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
Tunc - ma - xi - me - op - pug - na - ris - si - te

op - pug - na - ri - nes - cis
11 12 13 14 15 16

AD SALTUM EQUI: Principiis obsta: sero medicina paratur,
cum mala per longas convaluere moras (OVID.).

PICTURAE SIC IN VERBA CONVERTUNTUR:

INTER – A – MENTA. PRAETER – MIT – TER – E. SUB – E – O.

ABACUS VENEFICUS:

Parum est autem luxuriae quod naturae satis est (SENECA).

www.culturaclasica.com

EXITUS CERTAMINIS LATINI

Ad Certamen Latinum, quod anno superiore (cfr. PALAESTRA LATINA XXVI (1956) 115, 125, 249, PALAESTRA ADULESCENTIUM II (1956) 9, 16, fasc. IV) pueris et adulescentibus constituimus, tres et octoginta competitores admodum descenderunt. Hispani fuerunt omnes, duobus exceptis Columbianis, omnesque ut gloriam palmamque adipiscerentur, enixe et viriliter contenderunt. Sunt enimvero, lucubrationes in quibus vel in parvulis praecocibusque scriptoribus singulare eluceat ingenium, sunt in quibus lingua Latina ornate floreat neque mendis maculetur, sunt quae minore sint elaboratae studio multisque sint mendis expurgandae. Omnes tamen digni sunt qui a nobis et a magistris dilaudentur; parent animos ad majora in litteris certamina, quibus et amplissima cumulentur gloria. Scripta sunt a judicibus constitutis diligenter perlecta et rite comparata.

Tandem uno et vicesimo die, mense Junio, die Sti. Aloisii Gonzagae sacro, quo studiorum curriculum finiebatur, sollemnis alumnorum conventus est habitus in quo victores sunt renuntiati et praemia tributa.

I. — Ex primo ordine quinquaginta alumni strenue ad victoriam pugnaverunt.

1. *Gallinulae nigrae fabellam* multi hispanice reddiderunt, ex quibus praemio est donatus FIRMINUS GUERENDIAIN, Collegii Claretiani alumnus, in urbe *Castro Urdiales.*

Praemium tribuit Officina Libraria «*Clásicos Labor*»

EDITORIAL LABOR
Provenza, 84 - 88.
Barcelona.

FERNANDEZ GALIANO: «Demóstenes»
RECIO: «Tito Livio»
VALENTÍ: «Lucrecio»

quibus accedit JARAMILLO, *Horacio,* qui a Moderatore Commentarii c. t. *Vida Religiosa,* missus est.

Alterum praemium tulit Jesus MALLAGARAY, ejusdem Collegii alumnus.

2. *Diluvii historiam ex Sacra Scriptura* quinque alumni conscripserunt, ex quibus narrationem pro suo ingenio descripsit MICHAEL ALSINA, Collegii Barbastrensis alumnus.

Praemium donavit Officina Libraria

ESCELICER, S. A.
Obispo Calvo y Valero, 4 - 12,
Cádiz

La historia de España contada con sencillez
La Astronomía » »
La Aviación » »
Los derechos de la mujer » »
La Electricidad » »
El Oriente » »
La Misa » »

Cui proxime accessit: ATILLANUS MARTÍN PÉREZ, Seminarii Segobrigensis alumnus.

www.culturaclasica.com

3. Fabulis admodum sunt pueri delectati, nam duodeviginti satis scitas conscripserunt. Praemium reportavit EMMANUEL CARBAJO, Collegii Claretiani alumnus *(Castro Urdiales)*, cujus fabellam «*Vulpes et Corvus*», nova ratione ornavit, quam in pag. 114 legas.

Praemium donavit Officina Libraria

EDICIONES Y PUBLICACIONES SPES
Paseo Carlos I, 149
Barcelona - 13

«*Vox*», Diccionario manual ilustrado de la Lengua Española
«*Spes*», Diccionario ilustrado manual Latino-Español, Español-Latino

quibus accedit: SERTILLANGES: *El orador cristiano*, liber a Moderatore commentarii c. t. *Vida Religiosa* dono datus.

Isidorus JIMÉNEZ, Collegii Barbastrensis alumnus, altero praemio est decoratus, qui *Anaticulae fabellam* eleganter scripsit.

II. — In altero ordine novem adulescentes computantur.

1. *Magi in Russia, Stephanum puerum Polonum invisunt.* Quam narrationem satis acute tractavit AQUILINUS NUÑEZ NEVADO, cui praemium est tributum *(Palacio de Infantes, Segontiae)*.

EDITORIAL SOPENA
Provenza, 93 - 97
Barcelona - 15

A. BLÁNQUEZ FRAILE, Diccionario Latino-español
» » Diccionario Manual Latino-español y Español-latino.

Primum per aëra iter scripsit LEOPOLDUS POLANCO MARTÍNEZ *(Palacio de Infantes, Segontiae)*, quem judices laude decoratum voluerunt.

2. *Narrationem Conjurationis Catilinae* exaravit BENJAMINUS FORCANO, C. M. F., *Celsonae.*

Praemium tribuit Officina Libraria

EDITORIAL GREDOS
Benito Gutiérrez, 23
Madrid

Corpus seu collectio opusculorum quibus est index «*Colección Gredos*» (Texto bilingüe: PLATON, *Critón;* JENOFONTE, *Anábasis*, I; *Helénicas*, I; TITO LIVIO, *Ab Urbe condita*, libri XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXIX, XXX; SÉNECA, *De vita beata;* AUTORES LATINOS, *De rebus Hispaniae*, II; *Antología Latina.*

3. Ex narrationibus a Fratribus GRIMM fictis, CAROLUS LATORRE, Collegii Barbastrensis alumnus satis belle et eleganter in Latinum convertit quae inscribitur: *Musculus, Passer, Botulus assus.*

Praemium donavit Officina Libraria

EDICIONES Y PUBLICACIONES SPES
Paseo Carlos I, 149
Barcelona - 13

«*Vox*» Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española
PABON - ECHAURI, Diccionario Griego-Español
«*Vox*» Diccionario Manual Francés-español, Español-francés

Altero praemio ornatur JOSEPHUS GOMEZ GARCIA, Seminarii Sti. Joachim *(Talavera de la Reina)* alumnus, qui illud Cervantesii caput latine interpretatus est «de rebus secundis, quae domino Quixoto, viro fortissimo, in terribili atque inaudito ventimolarum eventu acciderunt».

www.culturaclasica.com

III. Ex tertio denique ordine quattuor et viginti competitores recensentur.

1. *Quem locum ex sententia cl. v. Menéndez Pelayo scriptores classici in instituendis adulescentibus teneant,* eleganti oratione Latina tractavit Octavius Cuellar, C. M. F., natione *Columbianus.*

Praemium donavit Officina Libraria

Consejo Superior de Investigaciones Científicas
Duque de Medinaceli, 4 (Vitrubio, 16)
Madrid

Menéndez y Pelayo, Bibliografía Hispano-Latina clásica, vol. I - X.

2. Illustre factum ex Romanorum historia delineavit recteque expressit Josephus Beruete, C. M. F., Vallibus (*Valls*) [cfr. p. 120-121].

Praemium donavit Officina Libraria

Escelicer, S. A.
Obispo Calvo y Valero, 4 - 12
Cádiz

Montesinos, Gramática histórica latino-española
Goneaga, Comentarios de las guerras de las Galias
Guillén, Cicerón; J. L. Martín, La vida sale al encuentro

Alterum praemium adjudicatum est Eligio González et Ae. Fernández Andrés *(Palacio de Infantes, Segontiae).*

3. Horatii carmen Maecenas Atavis brevi descriptione ac sententiarum explicatione eleganter exposuit Dominicus Buaki Del Rio *(Palacio de Infantes, Segontiae).*

Alterum praemium delatum est Felici Gago Niño, Collegii Claretiani *(Palacio de Infantes, Segontiae),* alumno.

Ex primo ordine judicum suffragio digni habiti sunt qui laudarentur pueri: Firminus Gabriel Guerendiain, Eupilus Caballero, Josephus Rovira, Aloisius Rodríguez, Leopoldus Belmonte.

Quibus accedunt J. Lahoz, Jos. A. Virto, Xaverius Elcano, B. Rincón, Jos. Marín, qui omnes, fabulas clarissimorum poëtarum Iriarte et Samaniego versibus Latinis reddere conati sunt.

Ex altero ordine: Alexander Martínez García, Gabriel Gaitán Méndez *(Columbianus),* Georgius Marimón, Xaverius Llort.

Ex tertio denique scholasticorum ordine:

Narcissus González Fernández, Primitivus Arboleya, Alexander Cano, Narcissus Fernández, Gundisalvus Mateo, Andreas Díaz.

www.culturaclasica.com

Epistulae mutuo dantur inter alumnos

Joannes Lupus Delmas, Carolo Latorre (quem sibi amicum fore sperat) s. d.

Nunc primum tibi (et cum gaudio quidem) scribo. Nunquam antea puero ullo Hispano scripsi. Gaudeo igitur id mihi hodie contigisse. Quod et mihi et tibi felix faustumque sit! Hodie tibi quaedam de meis dicam. Quinque fratres sumus, inter quos tertius ego sum. Pater meus medicus est, et artem medicam docet in publica Parisiensi Universitate. Nec tamen semper Lutetiae se continet sed multum in omnes partes peregrinatur. Hispaniam tuam saepe adiit ut interesset sollemnibus medicorum conventibus qui habiti sunt sive Matriti, sive Barcinone, sive Olisipone (in Lusitania). Ipse lingua Hispanica optime loquitur, quam linguam mihi etiamnunc prorsus ignotam esse fateor. Tertium jam annum studiorum causa in Monasterio Calcatensi habito. Sumus XXVII discipuli, in quattuor classes (ut dicimus) distributi. Monachi nos docent... Oremus ut Christus Resurrectionis suae nobis gratias impertiat.

Scr. Dorniae a. d. XXII kal. Maj.

Cui rescripsit Carolus: *Carolus Latorre Joanni amico suo, s. d.*

Cum epistulam tuam accepi, magno gaudio affectus sum, quia magnopere desideraveram amicum habere cui litteras Latinas mitterem... Quod in epistula significasti ut aliquid de meis dicerem, libenter faciam. Duo fratres sumus, quorum ego major. Parentes honesti agricolae erant. Quodam die —dies mihi sane tristissimus— pater fortuito casu morti occubuit, et quamquam non statim mortuus est, paucis post diebus in sepulcrum descendit. Sequenti anno Collegium Alabonense petivi ubi frater est. Quartum studiorum annum attingo, frater secundum. Sumus hic quadraginta octo alumni, duobus cursibus distributi. Moderatores PALAESTRAE LATINAE nos docent.

Scr. Barbastro, a. d. X Kal. Maj.

Joannes Lupus Carolo amico suo, S. D.

Jucundae mihi fuerunt litterae tuae. Tibi refero gratias! Visne tibi pauca de Monasterio dicam? Dornia nomen est, non magnae urbis, sed vici non spernendi, in quo plus quam mille et quingenti incolae numerantur. Monasterium nostrum ab hoc vico distat duobus fere chilometris. Urbium proxima, quae a monasterio quindecim tantum chilometra distat, Castra (seu Gallice *Castres)* vocatur. Nonne hoc nomen Romanae originis index est? Regionis facies varia est. Ad meridiem enim montes habemus, in quorum montium radicibus monasterium situm est. Hi montes altissimi non sunt, sed ad puerorum ambulationes maxime idonei. Eorum nomen est «Mons niger» *(La montagne Noire).* Ad septentrionem autem et ad occidentem planities patet, nunc verno tempore viridissima, alternantibus arvis pascuisque variata, qua in planitie saepes multae multaeque arbores videri possunt, praesertim salices et populi... Scribe mihi et tu, quaeso, qualis sit illa regio quam incolis.

Scr. A. D. XVI kal. jun. a. MCMLVII.

www.culturaclasica.com

HANNIBAL
HANNIBAL, QUO NULLUS MAJOR EXSTITIT DUX, NOVEM ANNOS NATUS, AD ARAM JOVIS ADDUCTUS EAMQUE TENENS, HAC FIDE A PATRE HAMILCARE, IN HISPANIAM PROFECTURO, ADACTUS EST:
JURA, FILI, TE HOSTEM FORE POPULO ROMANO.
JURO ME ACERRIMUM HOSTEM POPULI ROMANI FUTURUM.
ALIQUOT POST ANNOS EXERCITUM ALPES TRAJECIT ET ROMANOS AD MUTINAM, AD TICINUM, AD TRASUMENNUM, AD CANNAS DEVICIT.
2
QUI EXERCITUS, ILLE CELEBRIS PRIMUM VICTUS, SAEPE PROELIO SUPERATUS, TANDEM AD ZAMAM FUSUS EST ATQUE FUGATUS.
3
ROMAM TAMEN OPPUGNARE NOLUIT, SED AD CAPUAM CONSTITIT, UBI EXERCITUS PER HIBERNA ITA LUXURIATUS EST UT CORPORIS ANIMIQUE VIRIBUS ENERVARETUR.

www.culturaclasica.com

4
CARTHAGINE DELETA POENISQUE DEVICTIS, HANNIBAL AD PRUSIAM, BITHYNIAE REGEM CONFUGIT, QUI, UT VIDETUR, POENUM PER SE NECANDI AUT IN ROMANORUM POTESTATEM TRADENDI CONSILIUM CEPIT.
5
SENATUS T. QUINCTIUM FLAMININUM LEGATUM AD PRUSIAM MISIT UT HANNIBALEM CAPERET. HANNIBAL, QUI SEMPER TALEM EXITUM VITAE SUAE PROSPEXERAT ANIMO, SEPTEM E DOMO EXITUS FECERAT. SED CUM SE FLAMININI CUSTODIIS UNDIQUE SAEPTUM VIDIT EXSECRATUS IN CAPUT...
...REGNUMQUE PRUSIAE POCULUM EXHAUSIT.
LIBEREMUS DIUTURNA CURA POPULUM ROMANUM, QUANDO MORTEM SENIS EXSPECTARE LONGUM CENSENT. NEC MAGNAN NEC MEMORABILEM EX INERMI PRODITOQUE FLAMININUS VICTORIAM FERET.
6
HIC VITAE EXITUS FUIT HANNIBALIS PAULO POST, FLAMININUS INGRESSUS MORTUUM INVENIT:
TUUS TOTUS EST ORBIS, ROMA!
7

J. Beruete, adulescens, in Certamine Latino praemio donatus

www.culturaclasica.com

RIDEANT PUERI!...

1. Ab homine quodam, plurimum musicam abhorrente, socii efflagitarunt quidni concentibus interesset et qua re adeo symphonias refugeret.

Quem adhortandi gratia, fratrem dixerunt ad concentus jam interdum adiisse. Belle, respondit ille, si adeo essem surdus ut frater meus, tum quidem promitto me aditurum.

PALAESTRICUS

2. Sursum, post duo chilometra, prospectum habebitis pulcherrimum.

RAPHAEL PEREZ.

3. JUDEX, CAUSIDICUS ET ASINUS

Ad tribunal causa agebatur cujus causidicus minima apud judicem fruebatur gratia. Acta causae judex summatim exponebat, cum asinus haud longe immodice rudiit.

—Quid sibi vult? ira succensus, inquit judex.

—Nihil, domine, nisi tuae vocis repercussio, causidicus respondit.

Obmutuit judex. Fortuna tamen illi auxilio venit. Cum enim causidicus quasdam judicis opiniones magno cum ardore rejiceret, iterum asinus adeo vehementer rudiit ut causidici vox non audiretur.

Tunc graviter judex: «Alteruter, inquit, taceat si audiri vultis, quod fieri non potest si simul loquimini».

FRANCISCUS PUJOL

4. ADNOMINATIONES

Bos, cos, dos, flos, glos, mos, os, ros: oeconomiam juvant.

Ad litterarum studiosos: «est studium stadium, frustra hic se nemo fatigat».

Ales hirundo canit, nat hirudo, movetur harundo.

Come comas, comes ire volens, comem indue vultum.

Apis dum ferit, perit.

Vana gloria munus, funus, fumus.

Vox medici dicit: Da, da!,
sed languidus: Ah, ah!

Quattuor breves modi imperativi:
dic sine fine preces,
vacuam *duc* crimine vitam,
fac sapienter opus,
fer patienter onus.

Canas, canes, canis, canos, canus;
mari, meri, miri, mori, muri;
asque, esque, isque, osque, usque.

DR. DOLD
(Kirchholen) *Parochus emeritus*



5. Pater, pater! telephono arcesseris!...

J. M.ª ESLAVA

www.culturaclasica.com



6. Locus hic tam saluber est ut superiore anno senex centum viginti annorum lapidis ictu necandus esset ut coemeterium aperiri posset...

7. CUNABULA

Misera mulier stipem ab homine praedivite poposcit, cui pedes erant perquam longi, eumque, cum videret illum nolle se inopia levare, rogavit:

—Heus, o bone, unum saltem ex longis tuis calceis!...

—Quid! calceum petis? ad quid tibi erit?

—Cunabula, dixit mulier, filio meo faciam. — MATTHIAS AUGÉ,
e Collegio Celsonensi

8. AEQUA LANCE

Antonius inter prandium compellat Franciscum: «Dic, Francisce, ubinam vacca locata habet cornua, ante an post auriculas?». Hic ceterum zoologus, cum nunquam situm cornuum vaccae notasset, divinans respondet «post auriculas illi cornua esse». «Belle errasti, inquit inter risus adstantium Antonius, nam cornua vaccarum supra auriculas prominent».

Pungit Franciscum responsionis dedecus, et meditatus per reliquas diei horas ultionem, in cena, ubi primum concessum colloquium est: «Antoni, inquit, habeo quod solvas aenigma. Dic, sodes: *est album quadrupes, aeque ante atque post videt:* quid esse dicis?» Antonius paulisper meditatus, sed nihil commentatus: «Fateor me nescire», inquit. Tum Franciscus: «Est equus albus, qui etiam caecus sit» et triumphans inter cachinnos adstantium: «Sic, Antoni, aequata lanx est».

AVENARIUS

9. IN SCHOLA

Age Petre, quid est ad dexteram tuam?

—Sol oriens.

—Et ad sinistram?

—Occidens.

—Et in parte pectori opposita, id est, in dorso, quid habes?...

—Magnam suturam...

10. Puer a domino in malo est deprehensus.

— Patri tuo statim dicam.

—Sed pater meus hic, supra me est...

BENJAMINUS M.ª FORCANO



11. Ludendi jam satis est, Petre, nam homo rebus terrae colendis natus est.

—At ego, pater, vitam in mari agere cupio...

www.culturaclasica.com



AENIGMA VERBALE



In transversum. — A. Epulis. — B. Forfices. — C. Praepositio, Pronomen personale. Consonans. — D. *(versis litteris:)* Robore. Stagnum. *(versis litteris:)* Pronomen demonstrativum *(nom. plur.)*. — E. Flexi. Praebe. — F. Canalis ad rigandos agros. Foetor. — G. Litterae e verbo «lux». Funestus. *(versis litteris:)* Nummus. — H. Interjectio. Existis. Vocalis. — I. Pellita pallia *(acus.)*. — J. *(versis litteris:)* Fila ducas.

Ad perpendiculum. — I. Quaedam arbor. — 2 Cineres *(acus.)*. — 3. Interjectio. Adjectivum possesivum *(vocat.)*. Consonans. — 4. Litterae e verbo «rodo». Caupo. Vultus. — 5. Cinge. *(versis litteris:)* Agros colat. — 6. Bonum. Vivite. — 7. *(versis litteris:)* Syllaba quae demonstrativis adjungitur. Frumentum quoddam. Ecce. — 8. Praepositio *(versis litteris:)* Perhibeo. Praepositio. — 9. Acutus. — 10. Suile.

ANTONIUS M. ANDRÉS, C. M. F.

---

8. — Socrates, cum domum suam exstrueret, a familiari admonitus domum exiguam esse, «Neque tamen, inquit, eam familiaribus veris complebo».

Celsonae. CARMELUS ASTIZ

9. — QUADRATUM MAGICUM



E	E	I	I
O	O	O	R
R	S	S	S
T	T	V	V

Has litteras si recte distribueris, vocabula invenies, quae significant:

1) Tibi lanam et carnem praebet
2) Contrarium est *jubeo*
3) Cum amicis est jucundum
4) Sint tibi hace faustissima!

---

10. Venitne uxor mea?

—Cito te certiorem facient ubi sit, nam, pro dolor!, tramina *(tren-train)* inter se colliserunt.

—Sed uxori certo nihil accidet mali, nam tesseram itionis et reditionis secum ferebat...

---

11. — Explica qua re aestus corpora dilatet.

—Dies aestate longiores sunt quam hieme, ergo... ratio facillime consequitur..

---

12. — MULIER VALETUDINIS CURAM GERENS

Medicus: Ne laboraveris. Opus est tibi paucula quies.

Mulier: Sed nunc inspice linguam.

Medicus: Ita est. Haec requies multum linguae quoque proderit.

BENJAMINUS M. FORCANO

---

13. — Pictor quidam se domum prius dealbaturum dicebat, deinde illam picturum.

—Eam primum pinge, alius ei pictor dixit; deinde statim dealba...

FRANCISCUS PUJOL

www.culturaclasica.com

Cerei liturgici **GAUNA** ad cultum divinum.

Insigne publice inscriptum pro «MAXIMA» et «NOTABILI»
(marca registrada)

Capitula **GAUNA** ad cereos.

Summa parsimonia — Summa mundities.

Lampades cereae **GAUNA** legitime consignatae
(patentadas)

ad Smum. Sacramentum, Vota, Domesticas Visitationes.

Hae lampades canoni 1271 accommodantur
quibus et lumen TABERNACULO tutum redditur

SUMMA SECURITAS — PROSPER EXITUS

Rem experire. — Statim pete a Ceraria:

NIETOS de QUINTIN RUIZ de GAUNA

(Domus anno 1840 condita)

Loculus tabellarius (apartado) 62 - M. Iradier, 44 - VITORIA (in Hispania)

Ex novata institutione Catechetica in Europa, quosdam abhinc annos incepta, hic consequitur fructus quem

Officina Libraria HERDER

omnibus catholicis viris, praebet: novum librum cui nomen est

CATECISMO CATOLICO

quo religionis doctrina et institutio in supremis scholis instauretur. Tota libri materies ad normas doctrinae puerilis hujus aetatis accomodatur: neque tamen, ut saepius mos est, in quaestiones et responsa opus distribuitur, sed res nexu quodam conjunguntur; illaque disjunctio historiae sacrae a doctrina christiana, quae artificiose erat statuta, prorsus est ablata.

Hic liber CATECISMO CATOLICO diligenter translatus, accurate recognitus a Dno. Rvdo. Francisco PAYERAS, Sacerdote, convenienter est aptatus ex uno apud Germanos constituto Catechismo, anno 1955 rite probato et in 26 dioecesibus Rei publicae Foederatae Germanae abhibito.

In hoc CATHECHISMO CATHOLICO condiciones, quas prudens institutor et magister in religione tradenda exquiret, facillime inveniet, quod

animos ad Deum appellit — ad Ecclesiam convertit — ad Christum sublevat totaque explicatione viget — adulescentibus aptatur - nostraeque aetati respondet.

Hisce quasi capitibus libri conscriptores ducti id ante oculos habuerunt se librum conscribere qui totum contineret atque erudiret hominem: *sensu, ratione, voluntate animique motibus.*

Novus est igitur hic CATECHISMUS CATHOLICUS: nova via, nova virtute, apta opportunitate.

320 paginas complectitur; 162 picturis collustratur; charta consutus venit pesetis 36, linteo contectus venit pesetis 48.

EDITORIAL HERDER. - Av. José Antonio, 591 - BARCELONA

www.culturaclasica.com

ESCELICER, S. A.

OFFICINA LIBRARIA ESCELICER libros edidit in usum alumnorum qui linguis Graecae et Latinae in Seminariis ecclesiasticis, in Scholis quae Mediae dicuntur, in Universitatibus vacant.

CADIZ	MADRID	SAN SEBASTIAN
Apartado, 86	Olózaga, 6	Paseo de Colón, 4

SERIES GRAECA:

His libris lingua Graeca dilucide et paedagogice traditur.

GRAMMATICAE:

MORFOLOGÍA GRIEGA, vol. 1: *Praecepta et etymologia*, 2.ª ed.
» » vol. 2: *Exercitationes scholares et anthologica*, 3.ª ed. 102 pg.
» » vol. 2: *Exercitationum scholarium liber in usum magistrorum.*
SINTAXIS GRIEGA, vol. 1: *Praecepta grammatica*, 142 pg.
» » vol. 2: *Exercitationes et anthologica*, 142 pg.

Quos libros paravit Jacobus MORILLO, S. J.

SCRIPTORES CLASSICI:

PLATÓN, *Critón*. Textus Graecus, cum introductione et notulis, a G.ª Evangelista, S. J. paratus.

TUCÍDIDES, *El Epitafio de Pericles* et *La peste de Atenas*. Textum Graecum introductione et notulis auxit Aloisius Enrique, S. J., 144 pg.

ANACREONTE, *Anacreónticas*. Selecta carmina edidit notulisque instruxit P. J. Fantini, S. J., pg. 100.

S. J. CRISÓSTOMO, *Homilía en defensa de Eutropio:* introductio, textus, notulae adulescentibus parata a Julio Fantini, S. J., pg. 46.

S. J. CRISÓSTOMO, *Homilía en defensa de Eutropio:* Textus Graecus ex SOMMER desumptus, introductione et commentario auctus, curante J. Fantini, S. J., pg. 48.

HOMERO, *Ilíada Canto IV*. Textus Graecus, introductione et notulis instructus, curante Henrico Basabe, S. J.

SERIES LATINA:

CICERÓN, *Defensa de Ligario*. Curante Francisco Aparicio, S. J., pg. 50.

HORACIO, «*Odas*». l. IV. Heliodorus Fuentes, S. J., paravit, pg. 110.

CICERÓN, *Su época, su vida y su obra*. Scripsit J. Guillén. In hoc libro vita et acta Ciceronis scite describuntur.

MONTESINOS ABELLÁN, M. I. S. D. José, *Gramática histórica latina*. Utilisstmus sane liber ad intimam linguae Latinae et Hispanicae cognitionem acquirendam.

www.culturaclasica.com

Ubi didicisti linguarum exterarum sonos perfectissime emittere?...

...id a te quaerent amici intra quinque menses, si... **Consociationi ad linguas ediscendas inter Hispanos usu et experimento omnium probatissimae** te commiseris.

Ratio et Via

Polyglophone CCC

per sonos et imagines tibi UNICAM dat opportunitatem pure et emendate loquendi

ANGLICE - GALLICE - GERMANICE

atque discendi LITTERAS ANGLICAS et LITTERAS GALLICAS.

CUM DISCIS PHONOGRAPHICIS
in grandibus vel minutis sulcis exactissime incisis.
SINE DISCIS: Textus jucundissimi et faciles imaginibus collustrati.

Phonographum si non habueris, suppeditabimus.

STATIM A NOBIS EXQUIRE - PROSCRIPTA GRATIS MITTEMUS

Consociatio ad animi Cultum Commercio epistularum adipiscendum **CCC**

CENTRO DE CULTURA POR CORRESPONDÈNCIA

Apartado 108 • SAN SEBASTIAN

Administro a publica Institutione probata numeris 35, 35, 37

Procuratores: MATRITI, Preciados, 11 **BARCINONE, Avda. de la Luz, 48**

www.culturaclasica.com

OFFICINA LIBRARIA SPES

Avda. del Gmo. Franco, 259 — Tel. 25 08 75 — Telegrammata EDISPES

BARCELONA (13)

Corpus quod VOX inscribitur:

DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Alteram editionem quam R. Menéndez Pidal praefatione ornavit, iteratis curis S. Gili Gaya recognovit. XL - 1816 pag.

DICCIONARIO MANUAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Recognovit S. Gili Gaya. VIII - 1162 pag.

DICCIONARIO ABREVIADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Recognovit S. Gili Gaya. Lexicon in usum puerorum impuberum ad regulas morum et disciplinae paedagogicae compositum. Scitis picturis versicoloribus ornatum.

DICCIONARIO MANUAL FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS, (tabulis grammaticis instructum). — Altera editio, 1956.

Corpus quod SPES inscribitur:

DICCIONARIO ILUSTRADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO, cui epitome grammaticae Latinae adjicitur. Praefationem scripsit V. García de Diego. Retractavit et sermonis ecclesiastici vocabulis auxit Jos. M.ª Mir, C. M. F. XVI-752 pag. 3.ª editio.

DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO, 312 p., 3.ª editio.

DICCIONARIO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO, ab Eustachio Echauri exaratum. 830 pag., 7.ª editio.

DICCIONARIO GRIEGO-ESPAÑOL, cum complemento formarum verbalium et epitome grammatica, a cl. vv. Pabón-Echauri conscriptum. XX-636 pg. 3.ª editio.

* * *

CURSO SUPERIOR DE SINTAXIS ESPAÑOLA, a S. Gili Gaya exaratus. 312 pag. 5.ª editio.

COMPENDIOS VOX DE DIVULGACIÓN FILOLÓGICA, a S. Gili Gaya composita:
Ortografía práctica; Resumen práctico de gramática española; Nociones de gramática histórica española; Iniciación en la historia literaria española.
Quae Summaria in unum volumen conglutinata veneunt.

Sub prelo sunt

VOX — Diccionario de Sinónimos de la Lengua Española.

VOX — Diccionario Inglés-Español, Español-Inglés.

VOX — Diccionario Enciclopédico compendiado ilustrado. Tria complectetur volumina

VOX - SPES: insignia ubique terrarum cognita et magni habita

www.culturaclasica.com

BIBLIOGRAPHIA

HOMER.—*Odyssee Griechisch und deutsch.* Uebertragung von Anton Weiher, mit erläuterndem Anhang und Namenverzeichnis. Ernst Heimeran Verlag, München 1955.

Novo hoc volumine Bibliotheca TUSCULUM augetur ornaturque, a praeclaro doctore A. Weiher maxima cura ac studio parato. Hinc Graecus Odysseae textus, hinc ejusdem Germanica translatio (pp. 6 667). Tum non nullae consequuntur eximiae eruditionis paginae, quae Homericum poëma Odysseam lectori facilius delibandam praebent.

Aliqua in primis de ipso nobilissimo carmine (pp. 671 - 675). Deinde de linguistica Odysseae conformatione atque natura (pp. 675-679). Tum perquam erudite agitur ab scriptore de hominibus, qui ibi deteguntur (pp. 680 - 686). De psychologia praeterea Homerica quaedam notiones (pp. 686 - 691). Atque de deorum historia, quorum in poëmate laudes concinuntur (pp. 692 - 695).

Appendix maximi momenti sequitur, in qua unumquodque Odysseae cantum singillatim clarus vir A. Weiher expendit atque ingenio acuto explicat (pp. 696 - 728). Nominum tandem appendix copiosa et absoluta volumen hoc absolvit (pp. 729 - 746). Commodiore quidem via atque tramite, ni multum fallimur, itinera magni illius viri Ulixis operis hujus auxilio, linguae Graecae studiosus quasi mente spirituque proprio consectabitur.

T. MACCIUS PLAUTUS. — *Komoedien.* Lateinisch und deutsch von Alfred KLOTZ. Ernst Heimeran Verlag, München.

Tres admodum comoediae Plauti hoc opere iterum in vulgus eduntur: Menaechmi, Epidicus, Pseudolus. Quas in linguam Germanicam transtulit clarus Professor A. Klotz, easque haud paucis notulis litterariis, rhetoricis, historicis exornavit.

Breviter de Plauti vita et litterario opere in praefatione disseritur (pp. 5 - 11). Prima sequitur comoedia Menaechmi, ita ut altera pagina Latinus, altera textus Germanicae conversionis prostet (pp. 12 - 111); eodem tenore comoedia Epidicus (pp. 112 - 181); tandem Pseudolus (pp. 182 - 293).

Tum quaedam eruditae notitiae traduntur de textu singularum comoediarum Plautinarum (pp. 294 - 299). Atque de earum declaratione non nulla a claro scriptore adjunguntur (pp. 300 306). Textus Latinus, non nullis locis intellectu difficilior, Germanica translatione commodior redditur, opera et sedulitate auctoris. Utinam hae comoediae penitius, in earum perspicuo sermone comprehendantur ab hodiernis Latinitatis cultoribus!

P. OVIDII NASONIS. — *Halieutica - Fragmenta - Nux; Incerti Consolatio ad Liviam.* Iterum edidit Fridericus Waltherius LENZ. In aedibus Paraviae et Sociorum. Torino, Corso Racconigi, 16, 1956.

Aliud opus ejusdem scriptoris ejusdemque bibliothecae «Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum» lectoribus PALAESTRAE LATINAE commendatum volui. Quattuor opuscula pervaria volumen efficiunt. Sic, in praefatione, clarus auctor: «Continentur hoc volumine praeter Ovidii fragmenta in alterum hujus Corporis fasciculum non recipienda, sed ad artem indolemque poëtae penitus cognoscendam non prorsus inutilia tria carmina, de quibus inter viros doctos magna lis et fuit et est et erit, Halieutica, Nux, Consolatio ad Liviam».

De his opusculis verba facit, summa doctrina ornata, in praefatione scriptor F. Waltherius (pp. 3 - 25). Consequitur *Halieuticon* liber, una cum indice nominum (pp. 27 - 45). Dein Fragmenta (pp. 47 - 71). Tum *Nux*, cum amplissima rei praefatione (pp. 73 - 156). Tandem vero carmen *Consolatio ad Liviam*, cum propria explicatione et apparatu critico (pp. 159 - 214).

Opus hoc magistris potius Latinitatis quam alumnis commendandum videatur; dignum tamen habendum quod bibliothecam ornet Paravianam Scriptorum Latinorum, adeo de Latino sermone bene meritam.

ILDEPHONSUS GONZALEZ, C. M. F.

www.culturaclasica.com

Corpus Scriptorum Paravianum

in Aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum Augustae Taurinorum

Corpus Scriptorum Latinorum apparatu critico instructum

Ciceronis M. Tulli, *Epistularum ad Marcum Brutum.* — Liber nonus. PSEUDOCICERONIS, *Epistula ad Octavianum. Fragmenta Epistularum.* — Edidit H. MORICCA.

Ciceronis M. Tulli, *Epistularum ad Quintum fratrem,* libri tres. — Q. CICERONIS, *Commentariolum petitionis.* — Edidit H. MORICCA.

Cornelii Nepotis, *Quae exstant.* — Recensuit H. MALCOVATI.

Fabularum Atellanarum Fragmenta. — Recensuit P. FRASSINETTI.

Fasti Capitolini — Recensuit A. DEGRASSI.

Horati Q. Flacci, *Carminum,* libri IV. — *Epodon.* — *Carmen Saeculare.* — Recensuit M. LENCHANTIN DE GUBERNATIS.

Incerti Auctoris, *De lapsu Susannae.* — Edidit E. CAZZANIGA.

Martialis M Valeri, *Epigrammaton,* libri I-XIV. — Recensuit C. GIARRATANO.

Martialis M. Valeri, *Epigrammaton,* libri I-IV. — Recensuit C. GIARRATANO.

Martialis M. Valeri, *Epigrammaton,* libri V-IX. — Recensuit C. GIARRATANO.

Minucii Felicis M., *Octavius.* — Recensuit M. PELLEGRINO.

Oratorum Romanorum Fragmenta *liberae rei publicae.* — Recensuit H. MALCOVATI.

Ovidi Nasonis P., *Fastorum,* libri VI. — Recensuit C. LANDI; editionem paravit alteram L. CASTIGLIONI.

Ovidi Nasonis P., *Ibis.* — Iterum edidit F. W. LENZ.

Ovidi Nasonis P., *Halieutica - Fragmenta - Nux.* — **Incerti,** *Consolatio ad Liviam.* — Iterum edidit F. W. LENZ.

Plauti T. Macci, *Rudens.* — Recensuit A. I. AMATUCCI.

Senecae L. Annaei, *Dialogorum,* libri IX-XX. — *De tranquillitate animi - De brevitae vitae.* — Recensuit L. CASTIGLIONI.

Senecae L. Annaei, *Hercules furens - Troades - Phoenissae.* — Edidit H. MORICCA.

Senecae L. Annaei. *Medea - Oedipus - Agamemnon - Hercules (Oetaeus).* — Recensuit H. MORICCA.

Senecae L. Annaei, *Thyestes — Phaedra.* — **Incerti Poetae,** *Octavia.* — Edidit H. MORICCA.

Taciti Cornelii, *Ab excessu Divi Augusti* sive *Annalium* libri I-VI. — Recensuit M. LENCHANTIN DE GUBERNATIS.

Proximo fasciculo PALAESTRAE LATINAE alii accedent librorum indices

G. B. Paravia & C.
Corso Racconigi, 16
TORINO (Italia)

www.culturaclasica.com